


05

A

2156





Disputatio Ordinaria,
 De
FINE SECULI,
*In inclyta Academia Witte-
 bergensi publici exercitii
 gratiâ proposita*
 P R E S I D E
 FRIDERICO BALDUINO
 SS. Theol. Doctore ac Professore
 publico, Pastore & Super-
 intendente,
 RESPONDENTE
M. Henrico Innichenböfero,
Hertzbergensi Sax.
 Habebitur adjuvante Spiritus
 Sancti gratiâ
a. d. 9. Decemb. anno 1625.
horis 6 loco consuetis.
 Apud Christian. Tham, Acad. Typ.





05 4 2156





Σω̄ Θεω̄.

DE FINE SECVLI.

THESIS I.



Disputatio de Fine Seculi non caret difficultatibus, quia tota est Prophetica, h. e., de rebus futuris, quæ quidem certò eventuræ sunt, sed nobis, qui vix scimus ea, quæ ante pedes sunt, vel obscuræ satis, vel penitus ignotæ, quia in Scriptura Sacra, extra quam sapere nobis non licet, non satis revelatæ. Verissi-

imum enim est, quod Irenæus scripsit lib. 4. cap. 43. *Omnis Prophetia, priusquam habeat efficaciam, enigmata & ambiguitas sunt hominibus. Cum autem venerit tempus & evenerit, quod prophetatum est, tunc prophetiæ liquidam habent & certam expositionem.*

II. Ad hanc *πρᾶγματεῖαν* pertinet futurus mundi status, Ecclesiæ, regnorum civilium, regni Christi, hominum denique atque Angelorum. Hæc enim omnia longè aliam atque nunc, in fine seculi habebunt faciem, adeò ut verè tunc cum Regio Psalte dicere quis posset, *omnium rerum vidi finem* ex Psal. 119. v. 96. & cum Apostolo gentium: *vetera transferunt; ecce facta sunt omnia nova* 2. Cor. 5. v. 17. quibus verbis is, qui in throno sedebat, cum annuntiaretur S. Johanni cœlum novum, & terra nova, utebatur: *Ecce, inquit, nova facio omnia.* Apoc. 21. 5.

III. Etsi verò nemo tam divini est ingenii, ut, quæ de fine seculi scire licet, aut quæ tum futura sunt, mente sua ad unguem assequi præsumat: nihil tamen prohibet, quin pio studio sequamur in his, quousque nos Scriptura S. duxerit, præsertim cum finis anni jam finem totius seculi nobis suggerat, qui unum est ex illis novissimis, de quibus Sapiens monet: *In omnibus operibus tuis memorare novissima, & in æternum non peccabis,* Sir. 7. v. 40.

Δ β

IV. Hoc

IV. Hoc igitur agamus in nomine ejus, qui secula condidit: Et ut à vocabulis, tanquam primis in hac materia elementis, initium faciamus: Synonyma sunt, *Finis seculi* 1. Cor. 10. v. 11. *finis omnium* 1. Pet. 4. v. 7. *finis καὶ ἐξοχλῶ*, vel per ἔλθειν 1. Cor. 15. v. 24. *Consummatio seculi* Matth. 13. v. 39. C. 24. v. 3 C. 28. v. 20. Heb 9. v. 26, *tempora refrigerii* Act. 3. v. 20. *tempora restitutionis omnium* Act. 3. v. 20. *tempus consummationis* Dan. 12. v. 4. ubi in Hebræo textu est *קץ* tempus finis; Græcus interpres reddidit *καιρὸν σωτελείας*, tempus consummationis: agitur autem ibi de obfignatione Prophetiæ usque ad finem mundi.

V. Finis & seculum in Scriptura *πολυσημίαν* habent, de qua nihil attinet hîc dicere. In nostro foro finis (*τὸ τέλος*) idem est, ac clausula & ultima rei meta atque terminus, quomodo usurpatur Matth. 10. v. 22. C. 24. v. 6. Luc. 1. v. 33. Iob. 13. v. 1. Seculum autem (*ὁ αἰὼν*) vel Systema hoc visibile cœli & terræ, hoc est, mundum hunc aspectabilem cum omnibus, quæ in eo sunt, significat, juxta illud: Deus per filium condidit secula Heb. 1. v. 2. vel statum & conditionem eorum, quæ sunt & geruntur in mundo; ab Apostolo Paulo vocatur *αἰὼν τῆς κόσμου*, seculum hujus mundi Ephes. 2. ver. 2.

VI. Est ergò finis seculi, de quo hîc agimus, ultima hujus mundi clausula, qua cœlum & terra cum elementis omnibus destruentur, regna mundi cum omni conditione hominum mundanâ abolebuntur, status regni Christi mutabitur, Ecclesia ab omnibus malis liberata in tranquillum perpetuæ pacis portum rransvehetur, angelorum bonorum *leiturgia* quò ad homines, malorum *μεθοδεία* cessabit: impiis omnibus plena retributio, piis perfecta compensatio fiet, & Deus erit omnia in omnibus.

VII. Ex qua descriptione constat, qua de re nobis agendum sit, nimirum 1. De certitudine hujus finis. 2. de tempore & præfatiis ejusdem. 3. De rebus in fine seculi subsequuturis. De quibus omnibus, quantum Deus dederit, pauca dicemus.

CAP. I. VIII. Quod mundus, sive seculum hoc præsens finem sit habiturum, negant filii hujus seculi, hoc est, homines mundani & terrenis voluptatibus immerfi, quos D. Petrus illusores vocat, qui juxta
Quod finis seculi certus sit.

juxta proprias concupiscentias ambulat: rident enim omnia, quæ de fine mundi, de ultimo Christi adventu & extremo judicio prædicuntur, dicentes: *Ubi est promissio aut adventus ejus? ex quo enim Patres dormierunt, omnia sic perseverant, ab initio Creaturae* 2. Pet. 3. v. 4. Quibus respondet Apostolus v. 5. 6. 7. *Latet eos hoc volentes, quod cæli erant prius & terra de aqua & per aquam, consistens Dei verbo, per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit. Cæli autem qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in die judicii & perditionis impiorum hominum.* Ad hos empectas pertinent, qui apud Esaiam se mutuò invitant: *Venite sumamus vinum & inebriemur sicera, & erit secundum diem hunc cras, vel major erit valdè,* Esa. 56. v. 12. Quemadmodum enim impius in corde suo dicit, non est Deus; ita etiam sibi ipsi persuadet, nullum restare judicium, nullam seculi hujus mutationem.

Alii non ex levitate aliqua, aut cupiditate carnis, sed *δογματικῶς* negant interitum mundi: quales erant illi hæretici, quorum Augustinus ex Philastro meminit *lib. de hæres. cap. 67.* qui dixerunt, *hunc mundum etiam post resurrectionem mortuorum in eodem statu, in quo nunc est, esse mansurum, neque ita esse mutandum, ut sit cælum novum & terra nova, sicut Sancta Scriptura promittit: item Albanenses, qui mundum hunc semper fuisse, & nunquam finem habiturum docuerunt.* Quò pertinet etiam error Origenis, de quo Hieronymus epist. 59. ad Avitum refert, *quod successivam quandam mundorum creationem & destructionem statuerit, & per Consequens totalem mundi finem negaverit.* Fuerunt & alii Hæretici, quorum Irenæus meminit *lib. 1. cap. 6.* qui putarunt, Deum ipsum interiturum, si cælum & terra interitura sunt, quia cælum dicatur thronus Dei, & terra subpedaneum ejus.

X. Autor illius libri qui de incorruptibilitate mundi scriptus est, quem nonnulli Philonem Judæum esse arbitrantur, multis argumentis probat, mundum nunquam interiturum, nec ab eo statu, quem nunc habet, in deteriorem vel meliorem aliquando esse commutandum: quin & dicere, mundum divinitus occidere, flagitiosissimum esse, ait, neque enim Deus est autor inordinationis, confusionis, interitus, sed ordinis, venustatis & vitæ.

XI. Platonicos docuisse refert *Damasc. in lib. de hæres. f. 575.* mundum

A 3

dum

sum hunc ortum quidem habuisse; nunquam autem interiturum. Nonnulli hunc errorem tribuunt ipsi Platoni, eò, quod in Timeo scribit, exacto tempore defecturum terrenum genus, mundumq; insolitis motibus agitarum & concussurum iri, cum ingenti animantium omnium pernitie ac clade; post aliquantum deinde temporis conquieturum opera principis Dei, qui ne concidat intereatq; mundus, gubernacula ejus recipiet, addetq; ei sempiternam juventam & immortalitatem. Sed excusant aliqui Platonem, quem illis verbis ad resurrectionem mortuorum alluisse censent, de qua ei ex Mosaica doctrina aliquid constiterit: qua de re vide Euseb. de preparat. Evang. lib. 11. & Augustin. lib. 22. de civit. Dei cap. 28.

XII. Aristotelem æternitatem mundi docuisse, notum est ex lib. 4. & 8. Phys. text. 4, 10, 11, 15: ex lib. 1. de cælo text. 20. ex lib. 2. de ortu & inter. ex lib. 12. Metaph. &c. cujus duodecim argumenta recenset & refellit Pererius lib. 15. de Commun. rer. natural. princip. & affect. c. 2. Ergò sicuti ortum mundi, ita & ejusdem finem negavit. Unde in lib. Meteor. ridiculum esse asserit, ob paucas levesq; mutationes mundi totius permutationem statuere, indeq; universi cladem colligere. Eiusdem sententiæ fuit Cicero lib. 2. de Natur. Deor. Porphyrius, quem refutat Augustin. lib. 20. de Civ. Dei. c. 24. Proclus, cujus viginti argumenta recenset ac refellit Pererius l. d. cap. 4.

XIII. Quod imprimis Aristotelis sententiam attinet, is quidem in 1. Top. cap. 9. quæstionem de ortu & interitu mundi problema dialecticum appellat, tum propter autoritates contraria sententiarum, tum propter contrariarum rationum ex utraque parte probabilitatem: omniaq; ejus argumenta de æternitate mundi eò tendunt, ut eam soli cælo tribuat, quasi jam ostenderit, mundum æternum esse, si cælum æternum sit, adeoque hanc quasi radicem æternitatis existimavit, si nimirum ex cæli æternitate totius mundi æternitatem probasset, ut observavit Zabarella cap. 15. de natur. scientiæ constitut.

XIV. Quicquid autem sit, ipsum rem satis seriò egisse ex allegatis textibus constat, ideò apud Hierophonrem Sacerdotem duplici de causa accusatus dicitur, & quod in Lyceo unum Deum docuisset, contra patrios ritus, de Idolis & multitudine Deorum, &

& quod mundum sempiternum enunciaffet, quem ab initio conditum tota Græcia putabat.

XV. Etsi verò difficile non est, Aristoteli ex propriis suis principiis respondere: ipse namque docet *lib. 8. Phys. cap. 8. tex. 78.* virtutem finitam non posse consistere infinito tempore, mundum autem finitum esse nemo negat, unde sequitur, ipsum non duraturum in infinitum: nolumus tamen hanc quæstionem Philosophorum rationibus decidere, cum articulum fidei concernat, & in sacris literis fundamenta habeat satis solida, quæ nos credere convincunt, Deum, uti huic toti universo suum dedit ortum per mundi creationem; ita etiam finem ei impositurum, per mundi consummationem.

XVI. Primum argumentum petitur à *sine vicissitudinum in mundo.* Illis enim deficientibus, mundum ipsum deficere oportet. Finem autem habebunt vicissitudines tempestatum, temporum, laborum in mundo, sicut scriptum est *Gen. 8. v. 22. Cunctis diebus terra seminis & messis, frigus & aestus, æstas & hiems, nox & dies non requiescent,* hoc est, quamdiu terra steterit, istæ vicissitudines non cessabunt, post illos autem dies terræ sequentur dies cœli, id est, æterni dies, qui erunt Sabbathū ex Sabbatho, ubi non occupabimur corporeis laboribus, interprete B. Luthero in Comment. sup. hunc loc. Vicissitudines etiam generationum finem habebunt, unà cum terrâ sicut scriptum est *Eccl. 4. 1. v. generatio præterit & generatio advenit, terra autem in æternum stat,* hoc est, familiæ subinde in terra mutantur, ipsa autem terra non mutatur, usque ad terminum durationi suæ divinitus præfixum, *Leolam* enim isto in loco non æternitatem absolutam, sed tempus longissimum, durationi terræ divinitus destinatum significat. Vicissitudines quoque artium & linguarum finientur, juxta illud *1. Cor. 13. v. 8. Prophetiæ abolebuntur, linguæ cessabunt, scientia destruetur, charitas autem non excidit:* illa enim in hoc duntaxat seculo locum habent, charitas autem etiam in altero seculo locum & usum suum inveniet.

XVII. Secundum petitur à *termino rerum, quem Deus ipse interdum constituit finem seculi, ut Deut. 11. v. 21. ut multiplicentur dies tui, & filiorum tuorum in terra, quam juravit Dominus Patribus tuis, ut daret*

eis

ei, quamdiu coelum imminet terra: ergo erit aliquando tempus, ubi coelum terrae non amplius imminebit; Sic Psal. 72. v. 7. dicitur: *Florebit in regno Messiae multitudo pacis, donec non amplius Luna*: ergo Luna aliquando esse desinet, & tamen tunc regnum Messiae in flore adhuc erit, quia regnum est aeternum. Sic Matth. 5. v. 18. *donec transeant coelum & terra, non peribit unus apex de lege*: Ergo transibit aliquando coelum & terra, de lege autem nihil peribit. In his enim & similibus locis particula *Donec* non notat finem, sed continuationem. Sic Act. 3. v. 2. scribitur: *Oportet Jesum Christum coelum capere, usque ad tempora restitutionis omnium, quae praedixit Dominus*, hoc est, usque ad finem seculi, ubi Deus corruptissimum hujus mundi statum instaurabit, sicut in Prophetis praedictum fuit: non quasi Christus in caelo postea non amplius sit futurus, sed quia regnabit ipse & triumphabit in caelis absque electis suis usque ad novissimum diem, ubi etiam electos a mortuis resuscitados gloriae ac imperii sui faciet participes: tunc enim restituetur eis gloria ac felicitas illa, ad quam a Deo erant conditi, sed a Diabolo ea spoliati per peccatum. Sic Paulus scribit 1. Cor. 11. v. 26. *quotiescumque manducabitis panem hunc & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*, hoc est, usque ad finem seculi sacram coenam cum commemoratione mortis Dominicae celebrabitis.

XVIII. Tertium petitur a clarissimis vaticiniis & descriptionibus finis hujus seculi, ut cum Psal. 102. v. 26. dicitur, *initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt caeli; ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut indumentum mutabis eos, & mutabuntur. Esa. 51 v. 6. Coeli sicut fumus liquefcent, 1. Pet. 4. v. 7. rerum omnium finis imminet. 2. Pet. 3. v. 7. qui nunc sunt caeli & terra, ejusdem sermone repositi sunt, & servantur igni in diem judicii & perditionis impiorum hominum. Adveniet autem dies Domini sicut fur, in quo caeli magno impetu transibunt, elementa vero calore solventur; Terra autem & omnia, quae in ea sunt, opera exurentur. Huc pertinet illud Salvatoris Matth. 24, 25. *Coelum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Sic 1. Joh. 2. v. 17, mundus transire dicitur.**

XIX. Quare

XIX. Quartum ab expressa mentione consummationis & finis seculi, ut *Dan. 9. v. 27.* usq; ad consummationem decretum est, h. e. usq; ad finem mundi. *Matth. 13. vers. 39.* messis est consummatio seculi. *vers. 40. & 49.* Sic erit in consummatione seculi hujus. *Matth. 24. v. 3.* quod signum adventus tui & consummationis seculi. *Matth. 28. v. 20.* Ecce ego vobiscum usque ad consummationem seculi. *1. Cor. 10. v. 11.* in quos fines seculi inciderunt. *Heb. 9. v. 26.* Christus semel in consummatione seculorum ad destructionem peccati per hostiam suam apparuit.

XX. Quintum ab immutabilitate decreti divini. Quia enim Deus simpliciter constituit & condere mundum in tempore, & eundem destruere, uti ex precedentibus vaticiniis constat, certò illud eventurum est. Nam consilium Dei stabit, & omnis voluntas ejus fiet *Esai. 46. v. 10.* Consilium ejus manet in æternum. *Psal. 33. v. 11.* Quod decretum Dei Christus juramento confirmavit, ut de certitudine ejus nemo dubitet: Amen, amen, inquit, cœlum & terra transibunt *Matth. 24. v. 34. 35.*

XXI. Sextum à Jurato Testimonio Angeli in *Apoc. 10. v. 6.* ubi Angelus, (quem aliqui non absque ratione Angelum increatum esse censent) stans super mare & super terram levavit manum suam ad cœlum, & juravit per viventem in secula seculorum, qui creavit cœlum, & ea quæ in eo sunt, & terram, & quæ in ea sunt, & mare, & ea, quæ in eo sunt, quia tempus non erit amplius. Deficiente autem tempore, deficient etiam seculum, & mera sequetur æternitas. Jurata hac asseveratione opus erat, quia in postremis temporibus futuri erant expectatæ, qui finem seculi non credunt, de quibus supra ex 2. epist. Petri c. 3. audivimus.

XXII. Septimum à futura novi mundi substitutione, de qua Dominus *Esai. 65. v. 17.* Ecce ego creo cœlos novos & terram novam. Et *cap. 66. v. 22.* Sicut cœlum novum & terra nova, quæ ego facio, stant coram me, dicit Dominus: sic stabit semen vestrum & nomen vestrum. Et *Apoc. 21. v. 1.* Et vidi cœlum novum & terram novam, succedente autem novo, aboletur prius: ideò in *Esai. 65.* non erunt in memoria priora (videl. cœlum & terra) & non ascendent super cor: & in *Apocalypsi: primum cœlum & prima*
B *terra*

terra abiit, & mare jam non est. Quid autem per hoc coelum novum, & terram novam intelligendum sit, infra suo loco explicabitur.

XXIII. Plura adduci possent argumenta, sed hæc sufficiant ad demonstrandum τὸ ὄτι finis hujus seculi: qui enim tot divinis oraculis, ut finem mundi credat, adduci non potest, is neq; Deum ipsum serió credit, quod impiorum esse Regius Psalter testatur *Psal. 14. v. 1.* Jam ad secundum Membrum accedo, ubi quæritur, An finis seculi, quo ad tempus, quando venturus sit, nobis certò notus esse possit.

CAP. II.
Quando sit
futurus Fi-
nis seculi.

XXIV. Ubi sciendum est, quod hic terminus interdum ἐν τῷ λήτει sumatur de toto illo intervallo, quod est inter primum & ultimum Christi adventum, & aliàs tempus N. T. appellatur. Ita Paulus ait *1. Cor. 10. vers. 11.* Hæc scripta sunt in correptionem nostram, in quos fines seculorum devenerunt. Et in Epist. ad Hebr. cap. 9. v. 26. Christus semel in consummatione seculorum (hoc est tempore N. T.) ad destructionem peccati per hostiam suam apparuisse legitur. Aliàs vocantur dies novissimi *Esai. 2. v. 2. Jer. 23. v. 20. Dan. 2. v. 28. Mich. 4. v. 1. Act. 2. v. 17.* Hoc modo sumtus finis seculi nobis ignotus esse non potest, quia jam vivimus in his novissimis diebus & ultimâ horâ, quæ jam à nato Christo continuè fluxit, & jam ferè ultimum suum articulum ac momentum attigit.

XXV. Hoc tempus N. T. vocat Augustin. sextam mundi ætatem *lib. 83. quest. 58. & de Catechis. rudib. cap. 22.* ubi sex ætates mundi numerat; unam ab Adamo usq; ad Noam; alteram à Noa usq; ad Abrahamum; tertiam ab Abrahamo usque ad Davidem; quartam à Davide ad transmigrationem Babylonicam; quintam à transmigratione Babylonica usque ad Adventum Domini primum; sextam ab illo adventu usque ad finem seculi.

XXVI. Vocatur autem tempus novissimum, non tam ob quantitatem temporis, quàm ob statum & conditionem mundi: Tunc enim Ecclesia novam regiminis formam accipiet, quæ variationi aut mutationi non erit obnoxia, sicut præcedentes ætates, ubi alia erat Ecclesiæ forma ab Adamo usq; ad diluvium, alia à diluvio usque

usque ad Abrahamum, alia ab Abrahamo usque ad Mosen &c. Ille verò status Ecclesiæ, qui est à Christo usque ad finem seculi, uniformis erit, quia tunc non *πολυμερῶς καὶ πολυεργῶς*, ut antiquis temporibus factum, sed per filium suum Deus locutus est *Heb. 1. v. 1.*

XXVII. Eodem sensu tempora N. T. appellantur fines seculi: nam etiam si jam plusquam sedecim constent seculis: jam tum tamen tempore Apostolorum erant fines seculorum in comparatione præteritorum temporum. Quamdiu enim duratura sint ista secula, solus Deus novit; tam longa tamen eorum duratio non erit, quam seculum V. T. à condito mundo usque ad Christum, quia abbreviandi fuerunt dies: aliquot tamen seculis tempus illud durare debebat, ut plenitudo gentium ingrederetur. Cum ergò secula N. T. ejus durationis non sint, cujus illa priora, & cum incertum sit, quando finientur, ideò finis eorum semper imminere dicitur.

XXVIII. Finis ille principaliter dicitur postremus mundi terminus, quem aliàs in singulari numero *diem novissimum* nominare solent, de quo solo etiam nobis hîc est quæstio, *an is certò sciri possit?* Et hîc curiositas hominum semper occupata fuit, nonnullis annum certum, nonnullis etiam diem notantibus, quo seculum hoc finem suum sit habiturum.

XXIX. Lactantius ab ætate sua usque ad orbis interitum ducentorum Annorum spacium definivit *lib. 7. instit. cap. 25.* quam durationem nimis brevem esse experientia testatur. Ægyptii eam nimis extendunt, & annorum antiquitatem planè stupendam & incredibilem comminiscuntur, ut videre est apud *Herodot. lib. 2.* ubi à Dionysio Græcorum deastro, usque ad Amasim regem Ægypti 15000. annorum numerantur; & refert Plinius *lib. 35. nat. hist. cap. 13.* Ægyptios gloriari solitos, artem pingendi sex millibus annorum floruisse in Ægypto, antequam ea transfiret in Græciam. Augustinus quoque *lib. 2. de Civ. Dei cap. 10.* epistolæ cujusdam meminit, quam Alexander Magnus ad Olympiadem matrem suam exaravit, in qua ex relatione cujusdam Ægyptii Sacerdotis scripsit, imperium Assyriorum quinque millia annorum excessisse, Per-

farum verò per octo millia continuari: id quod falsissimum esse, historiaram monumenta testantur.

XXX. Diogenes Laertius Nili Ægyptii filium Vulcanum fuisse scribit: ab eo ad Alexandrum Magnum intercessisse ait, annorum quadraginta octo millia octingentos sexaginta tres. Pomponius Mela Ægyptios 330. reges ante Amasim, & supra tredecim millium Annorum ætates certis annalibus numerare narrat. Plura & planè portentosa mendacia Ægyptiorum, ex quibus stupenda prorsus duratio mundi colligeretur, vide ap. Ludovic. Vivem in notis ad *cap. 10. lib. 12. de Civ. Dei Augustini.*

XXXI. Neque verò hæc excusari possunt opinione illâ, quasi Ægyptii brevioribus annis, quàm nostrates sunt, mensuris nimirum, aut bimestribus, usi sint, ut opinatur Cenforinus de Natali die *cap. 19.* Nam mox à primis mundi originibus annus ex collatione motus Solaris & Lunaris conflatus fuit, quod inter cætera ex anno illo, quo diluvium duravit, colligitur. Is enim duodecim mensibus completis & decem insuper diebus constat; quemadmodum ex *Genes. cap. 7. v. 24. & cap. 8. v. 3. 4.* colligitur. Et Dominus Gesnerus *Disp. 8. in Genes. quest. 1. tb. 18. seqq.* ut & Josephus Scalliger *de Emendat. tempor. fol. 151.* declarat. Singuli verò menses constant triginta diebus, quæ non est Lunarium, sed solarium annorum periodus.

XXXII. In specie verò Ægyptios anno solari usos fuisse, argumento est, quod Plutarchus primi, quarti & octavi mensium Ægyptiorum meminit in Romulo. Plinius *lib. 6. nat. hist. cap. 23.* meminit mensis Tybi & Mecheiri; qui menses Ægyptii sunt & nostro Decembri & Januario respondent. Duodecim quoque menses Ægyptiorum, quorum singuli triginta diebus constant, & annum solarem constituunt, numerat, & cum nostris mensibus confert *Johan. Baptist. Picus*, ex quo ista latius diduxit *Johan. Lalamanrius* de anni ratione pag. 32. seqq. Non ergò possumus excusare Ægyptios: nimis enim manifestum est, quod durationem mundi ultra omnem fidem protraxerint.

XXXIII. Celebratissima est tam apud Judæos, quàm apud Christianos traditio domus Eliæ, de sex millibus annorum duraturi

turi mundi: *Duo millia (ajunt) inanitatibus; duo millia legis, duo millia dierum Messie.* Referunt eam nonnulli ad Prophetam Eliam Thesbiten, qui tempore Achabi regis floruit, circa annum mundi 3040, ante natum Christum annis circiter 923. quo nomine Picus Mirandula *lib. 7. Heptapli, & Galatinus de arcibus Cathol. verit. lib. 4. cap. 20.* traditionem illam urgent contra Judæos, dum & ipsi Thalmudistæ in voluminibus Thalmudicis, referente Galatino, præteruisse indicant tempus ab Elia prædictum de Adventu Messie, sed eum nondum venisse: idque eos suis imputare peccatis.

XXXIV. Alii ad alium quendam Eliam Judæum traditionem istam referunt, qui ducentis fortè annis ante natum Christum vixerit, de quo videatur *Paulus Vveidnerus de locis fidei lib. 3.* Plerique Patrum eam, tanquam à prælustri Propheta profectam, quasi cælo delapsam retinuerunt, inter quos est Irenæus *lib. 5. c. 23.* ubi à creatione mundi ad ejusdem durationem argumentatur, & quia 6. diebus mundum esse absolutum, legimus, dies verò in conspectu Dei sunt tanquam mille Anni *2. Petr. 3. v. 8.* verisimile existimat, mundum sex annorum millibus duraturum, & post æterni Sabbathi quietem esse insecuturam. Eodem argumento utitur, etiam Augustin. *lib. 20. de Civ. Dei cap. 7.* & Justinus Martyr *quest. 71.* Lactant. *lib. 7. c. 7.* Hilarius *Can. 17. in Matth.*

XXXV. Omnes autem ratiocinationes hujusmodi non ut divina oracula, sed ut humani ingenii discursus recipimus, illamque ipsam traditionem domus Elie non verba Prophetica, sed traditionem esse, cui refragari facilè sit, statuimus. Nā & Ambros. *lib. 7. in Lucam,* explicans illud Matthæi, post sex dies transfiguratus est, scribit, se non recipere talem mundanæ ætatis periodum, quia temporibus suis plusquam sex annorum millia jam computarentur: ubi quamvis calculus ipsum decepit, (Ambrosii enim tempore nondum præterierunt à condito mundo anni 4400, ut Sixtus Senensis supputat in *lib. 5. Biblioth. sanctæ annot. 190. fol. 395.*) apparet tamen, ipsum traditioni isti Elianæ nihil fidere.

XXXVI. Augustinus quoque in enarrat. Psal. 90. sup. illa Psalmi verba; *Mille anni sunt sicut dies hesternæ &c.* ita commentatur: *Ausi sunt homines præsumere scientiam temporum, quod scire cupientibus*

discipulis Dominus ait: Non est vestrum scire tempora, quae Pater posuit in potestate sua, & leuauerunt, hoc seculum sex annorum millibus, tanquam sex diebus posse finire: nec attenderunt, quod dictum est; tanquam dies unus qui praeterit, non enim quando hoc dictum est, soli mille anni praeterierunt, & quod eos maxime debuit admonere, ne tempore luderentur incerto, illud est, SICUT VIGILIA IN NOCTE, neq; enim sicut de sex diebus aliquid verisimile videntur opinari, propter sex dies primos, quibus Deus perfecit opera sua: sic etiam sex vigiliis, id est, horas decem & octo possunt illi opinacioni coaptare.

XXXVII. Fuerunt alii, qui pro sua curiositate non tantum seculum, sed & annum inquisiverunt, in quem finem seculi cadere putaverunt, quos jam pridem experientia refutavit. Augustin. lib. 18. de Civ. Dei cap. 53. quorundam meminit, qui in quadringentesimam, vel etiam in millesimum annum ab ascensione Domini in caelos, ultimum ejus adventum, (qui in finem seculi incidit) retulerant. Talis fuit olim Abbas Joachimus ex Calabria, juxta quem adventus Christi ad iudicium in annum 1258. incidit. Praedixit enim Urbano III. Pontifici, futurum diem novissimum post duas generationes, h. e. post 70. annos: Papa vero anno 1188. mortuus est, quibus 70. anni, seu duae generationes additae, faciunt 1258. annos. Arnoldus de Villa nova huic rei annum 1345, Michael Stifelius annum 1533, & nominatim diem Lunae; Cyprianus Leovitijs annum 1583, notante Bodino lib. 1. de Dæmonomania cap. 5. Johannes Regiomontanus 1588; Adelbertus quidam Thermopedius annum Christi 1599 & nominatim diem 3. Aprilis determinavit.

XXXVIII. Nonnulli terminum istum longius protrahunt; Dn. D. Philip. Nicol. in lib. 2. de regno Christi. annum 1670. posuit. Andr. Osiander Senior ex sua cabala annum posuit 1689. Nicolaus Cusanus in lib. de dieb. noviss. annum 1700. Alii tot Jubilaeos faciunt à Christi nativitate usque ad reditum ad iudicium, quot Christus annos vixit in terris, nempe triginta tres cum dimidio, & multiplicatione eorum, per 50, (quod intervallum fuit Jubilaei) annos colligunt 1675, referente D. Herbrand. in Comp. Theol. tit. de Consumm. seculi. Cardanus lib. 2. de rerum variet.

riet. annum 1800. Johan. Picus Mirandulanus 1904. Et horum aliqui calculum suum putant esse immotæ veritatis, aliqui verò probabilibus conjecturis, quas ex scripturarum Vaticiniis petunt, innituntur, & suam sententiam à temeritate eorum, qui certum diei novissimi tempus definire laborant, alienissimam esse volunt, Ideò Ecclesiæ Christi iudicio eam subjiciunt, & aliis viris doctis ulterius de ea cogitandi occasionem præbere cupiunt, quod præ cæteris D. Philip. Nicol. facit, *l. 2. de regn. Christ. c. 1.*

XXXIX. Nos, uti eorum diligentiam, qui de fine seculi ex scriptis inprimis Prophetæ Ezechielis & Danielis, ut & ex Apocalypsi Johan. collatis vaticiniis cum eorum eventu pio studio inquirent, non quidem improbamus, præsertim cum sententiam suam non habeant pro oraculo, cui contradicere fas non sit, sed liberè dissentientes admittunt; interim tamen apud omnes pios magnum momentum habere debet vox Christi: *De die illo (novissimo) vel hora nemo scit, neq; Angeli in cælo, neq; filius, nisi Pater. Marc. 13. v. 32.* Ubi certa diei novissimi notitia Angelis etiam & ipsi filio denegatur, solique Patri relinquitur; quantæ ergò temeritatis & præsumptionis esset, si quis nostrum de eo certi quid prædicere vellet?

XL. Quod autem Filius quoque diem illum ignorare dicitur, id non caret difficultate. Apud Matthæum *cap. 24. v. 36.* nulla fit mentio filii, sed tantùm Angelorum: unde sunt, qui particulam illam apud Marcum (neque filius) ab Arrianis insertam putant, ad tollendam filii Dei Divinitatem, in qua sententia est *Ambros. lib. 5. de fid. cap. 7.* Hieronymus etiam illam vocem in quibusdam exemplaribus in Marco desiderari affirmat, *sup. 24. cap. Matth.* Arriani igitur referebant hæc verba ad filium Dei, cujus Divinitatem & æqualitatem cum Patre destrui putabant, quia filius, id quod Pater sciebat, ignorare dicitur. Agnoëtæ hinc colligebant, Christum ignorare diem illum ut Deum & hominem, eumq; propterea ignorantia & timiditatis arguebant, referente Damasc. in lib. de Hæretic. existimant iidem, Christum etiamnum in statu gloriæ non scire omnia, contra quem errorem Cyril. differit *lib. 9. thesaur. c. 4.* Alii, inter quos est Origenes, Gregorius & Hieronymus, sic exponunt:

ponunt: non novit filius diem judicii in membris suis, ipse, ut caput, novit. Epiphanius Hæres. 69. & Bernhard. in serm. de gradib. humilitat. putant, Christum loqui de notitia practica & experimentalis, quia tum judicium nondum ipsa praxi exercuerat. Ambrosius Christū ignorasse ait diem illum humanā scientiā, scivisse autem divinā revelatione. Euthymius sup. cap. 24. Matth. sensum dicti esse putat: neq; filius scit, nisi Pater, videlicet sciat: quia verò scit Pater, scit utiq; & filius. Basilus & Hilarius, filium non scire ajunt, scil. ex se, scire vero à Patre, in quo solo ceu fonte hæc scientia est. Alii dicunt, filium non scire diem illum, non sibi, sed nobis, h. e. non manifestare debuisse aliis. Alii sic exponunt; scivit quidem filius secundum divinitatem, ignoravit autem secundum humanitatem. Ita enim habet Cyrillus lib. 9. thesaur. cap. 10. ignorare dicitur humanè, novit tamen divinè, & de semetipso ut homine loquens, nec derogans sibi ipsi ut Deo: scit enim ut Deus, quod ut homo ignorat. Alii filium hominis ignorasse ajunt, secundum actum naturæ proprium, & dona habitualia, scivisse autem infinita sapientiā divinā sibi per unionem personalem communicatā.

XLI. Harum expositionum quædam probabiles sunt, quædam manifestò falsæ. Ad assequendum autem verum hujus Dicti sensum, sciendum est: (1) agi ibi de filio hominis: de ejus enim adventu novissimo antè egerat, v. 26. huic potestas judicium faciendi data est Job. 5. v. 27. quod in illo die exercebit: & hoc Ambrosius observari jubet lib. 5. de fid. c. 8. Quod hic Christus loquatur non juxta suam Deitatem, sed juxta humanitatem: cum quo consentit Nazianzen. orat. 36. & Bernardus in tract. de gradib. humilit. (2) Filium hominis habuisse veram humanam scientiam, quæ in ipso unā cum Annis crevit, Luc. 2. v. 53. & secundum quam omnia, quæ in decreto Dei constituta erant, assequebatur. (3) Filium hominis præter illam humanam scientiam plenum fuisse, etiam omniscientiā divinā, à primo puncto conceptionis suæ: in ipso enim habitat tota plenitudo Deitatis corporaliter, Col. 2. v. 9. & omnes thesauri sapientiæ & scientiæ in ipso sunt absconditi, Col. 2. v. 3. (4) Illam omniscientiā divinam filius hominis in statu exinanitionis non semper plenè exeruit, sed sæpè numero liberè retraxit: est enim pars formæ Dei, quam evacuasse dicitur, assum.

manus

assumptâ servi formâ Phil. 2. v. 7. Verus ergò dicti sensus est: *Filius hominis diem novissimum ignorat tam humanâ illa scientia, quæ omnia Dei consilia & decreta non assequitur, quàm divinâ omniscientia, cujus usum non semper in statu exinanitionis suæ exeruit.*

XLII. De humana scientia filii non est dubium; & sic locum hunc intellexit Lutherus in postill. Eccles. sup. cap. 1. Hebr. ubi docet, *filius hominis non omnia semper vidit, aud. vit & sensit, neq; cordo suo semper omnia adspexit, sed prout Deus eum duxit.* Sed quod etiam divina scientiâ, cujus usum tum subtraxit, ignoraverit diem illum, luculentè patet ex antithesi Patris & filii, *filius non scit, nisi Pater,* & apud Matthæum est, *nisi solus Pater.* Qua ergò scientiâ Pater scivit novissimum diem: ea filius (ut & Angeli) eum ignoravit. Sed Pater scivit cum scientiâ divinâ. E. & filius scientia divina sibi à λόγῳ communicatâ, eum ignoravit, quia videlicet illam scientiam retraxit, eâq; usus non fuit. Eundem in modum Jacob. Andræ in opere Theol. scribit: *Sic non simulavit, se ignorare diem judicii, sed revera secundum humanam naturam tum ignorabat, siquidem humiliatio ejus non simulata fuit, sed realis abdicatio usus divinæ majestatis.* Et Lucas Osiander Senior, sup. cap. 24. Matth. *Filius hominis in statu exinanitionis & in forma servi existens, ante resurrectionem suam noluit semper omnium arcanorum esse conscius: sed nunc in statu gloriæ omnia novit: ad statum autem humiliationis ejus pertinebat, quædam ignorare;* Et sup. cap. 13. Marc. scribit, *Christum quatenus homo fuit, in statu exinanitionis non desiderasse diem adventus scire.*

XLIII. Sed satis de hoc loco: Nos inde colligimus, magnam esse temeritatem eorum, qui certum novissimi diei tempus infallibiliter scire se præsumunt, cum illud ipse filius hominis se ignorare fateatur. Neque utile est, neque necessarium, in istis esse curiosum. Ideò Christus post resurrectionem suam discipulis curiosius ea de re sciscitantibus, graviter respondit: non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, Act. 1. v. 7. Deus omnium calculantium digitos resolvit, atq; quiescere facit, scribit Augustin. lib. 18. d. Civ. Dei. c. 53. Tempus nemo curiosè inquirat, ait Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 15.

non enim est nostrum scire tempora, quæ Deus posuit in potestate sua; neque audeas determinare, quando hæc fient.

XLIV. Habet autem Deus suas rationes, cur ista à nobis ignorari voluerit, quia nimirum nihil prodest ad salutem hæc notitia, sed potius obest. Utiliter ergò Deus latere voluit illum diem, ut semper paratum sit cor ad expectandum, quod esse venturum scit, & quando venturum sit, nescit, ait Augustin. *Conc. 1. in Psal. 36.* Nōa certus de diluvio, de tempore non erat sollicitus, sed in vero Dei timore diem illum magnum Domini præstolabatur, & ipse servabatur cum suis. Sic & nos nihil dubitantes de die novissimo, non simus curiosi de tempore, sed quotidie parati inveniamur, ut digni simus effugere omnia, quæ ventura sunt, & stare coram filio hominis, *Luc. 21. v. 36.* Vigilate inquit, Christus, eo ipso in loco, ubi se diem illum ignorare fatetur, *Vigilate & orate, nescitis enim, quando tempus sit Marc. 13. v. 33. Matt. 24. v. 42.*

XLV. Ideò postremus Christi adventus in fine seculi comparatur furi, quia improvisus erit. Veniet tanquam fur in nocte *2. Thess. 5. v. 2.* Si autem sciret Paterfamilias, quâ hora fur venturus esset, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam: ideò & vos estote parati, quia nescitis, qua horâ filius hominis venturus sit, *Matt. 24. v. 43. 44. Luc. 12. v. 39.* & Christus ipse hortatur *Apoc. 3. v. 3.* Si non vigilaveris, veniam ad te, tanquam fur, & nescies quâ horâ veniam ad te. *Et cap. 16. vers. 15.* Ecce venio sicut fur, beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua. Ex eodem fundamento D. August. hortatur ad vigilantiam *epist. 80.* tunc (inquit) unicuique veniet dies ille, cum venerit ei dies, ut talis hinc exeat, qualis est judicandus die illo. Ac per hoc vigilare debet Christianus, ne imparatum eum inveniat Domini Adventus: imparatum autem inveniet ille dies, quem imparatum invenerit suæ vitæ hujus ultimus dies.

XLVI. Concludimus igitur hanc quæstionem cum Augustino ex *lib. 5. de Civ. Dei. cap. 18.* frustra annos, qui huic seculo remanent, computare ac definire conamur, cum hoc scire non esse nostrum, ex ore veritatis audiamus. Nemo quærat novissimum diem, quando venturus sit, monet *Serm. 21. de Verbis Domini.* Sed
vigile-

vigilemus omnes benè vivendo, ne novissima dies ejusque no-
strum nos inveniat imparatos, & qualis quisque hinc exierit suo
novissimo die, talis invenietur in novissimo seculi die.

XLVII. Etsi verò certi quid de anno & die novissimi seculi
affirmare non possumus: de eo tamen constat, quod finis seculi
immineat, & quasi ante fores nostras sit. Hoc enim clarè docet
scriptura: omnium finis appropinquat, inquit D. Petrus 1. Pet. 4. v. 6.
Adventus Domini appropinquavit Jac. 5. v. 8. juxta est dies Domi-
ni magnus & velox nimis Sophon. 1. v. 14. Hinc Gregorius Homil. 1.
in Evang. & lib. 8. epist. 41. scripsit, non tam impendere quam planè
adesse diem Domini. Similia habent Hilarius in lib. cont. Constant.
Cyprianus lib. 4. epist. 6. lib. 3. epist. 1. Tertullian. de fuga in perse-
cut. c. 12.

CAP. III.
Quod Finis
seculi im-
mineat.

XLVIII. Huic autem sententiæ de appropinquante fine se-
culi non repugnat Apostolus Paulus, qui 2. Theff. 2. v. 3. hortatur
Thessalonicenses, ne se moveri patiantur rumoribus illis seducto-
rum, quasi instet dies Domini; loquitur enim Apostolus de suo se-
culo, quod primus quasi quadrans erat novissimæ horæ, ubi finis
seculi, (ἀναρχῶς & de postremo novissimi temporis articulo lo-
quendo) ante fores esse nondum potuit, quia Antichristus non-
dum erat revelatus, de quo ipsos eo loco fideliter informavit. Ho-
diè verò, postquam omnia, quæ fines seculi præcedere debebant,
satis impleta sunt, non dubitare licet amplius, quin propè sit dies
Domini, de quo jam suo tempore scripsit Cyprianus: scire
debetis, & pro certo credere ac tenere, pressuræ diem super caput
esse cœpisse, & occasum seculi, & Antichristi tempus appropin-
quasse, ut parati omnes ad prælium stemus. Nec putemus, talia ef-
se, quæ veniunt, qualia fuerint illa, quæ prætergrediuntur, lib. 4. e-
pist. 6. & lib. 3. epist. 1.

XLIX. Occurrere etiam voluit Apostolus malis hominum
moribus, qui audientes appropinquare finem seculi, occasionem
inde arripiunt genio indulgendi, bona sua dilapidandi, & in otio
vivendi, quales jam tum erant, quidā ἀτακτοί apud Thessalonicen-
ses 2. Theff. 3. v. 6. cujus generis etiam erant olim Huitæ, quos Lin-
danus in Dubitatio nominat, à quodam Huto sic dicti, qui, quod
C 2 diem

diem Domini jam præsentem crederent, genialiter cœperunt vivere, donec inopiâ eos urgente ad labores priores redierunt. Hoc enim sine novissimi diei appropinquatio prædicanda non est, sed potius, ut cum timore ac tremore operemur salutem nostram, habentes oleum in lampadibus nostris, & parati obviam ire sponso ad nuptias, *Matth. 25. v. 10.*

L. Malè ergò Petrus Thyraeus Jesuita *in lib. de gloriosa fil. Dei apparit. cap. 19. §. 11.* levitatis notam nominat, dicere, tempus ultimi adventus Domini jam instare: quod sine dubio ideo factum, quod Antichristum tribus annis cum dimidio ante novissimū illum diem demum expectant Romanenses, quem cum nondum viderint, procul se adhuc abesse putant à fine mundi, sed ô beatos, qui quemlibet diem pro novissimo habent, siquidem jam impleta sunt omnia, quæ diem illum præcessura prædicebantur, & res ipsa docet, lapsum ruinamque mundi brevi secuturam.

CAP. IV.
De signis finem seculi præcedentibus.

L I. Quemadmodum autem Deus ultimum Hierosolymorum excidium multis iisdemque memorabilibus signis ac prodigiis notavit: Ita finis seculi non caret multis signis, quæ diem illum ultimum antecedent, quæ Christus longo catalogo enumerat *Matth. 24. Luc. 21.* & præfigurata sunt in judicio Domini in valle Josaphat, quo vindicavit Ecclesiam suam contra hostes *Joel. 3. v. 1. seq.* illud enim etiam sua habet signa & prodigia præcedentia: quia Sol & Luna obtenebrantur, & stellæ retrahunt splendorem suum. De his signis in genere Ambros. scribit in cap. 21. *Luc. In occasu seculi sumus, præcedunt quedam aegritudines mundi. Aegritudo mundi est fames, aegritudo mundi est pestilentia, aegritudo mundi est persecutio.*

L II. Signa à Christo notata sunt primū communia, novissimo diei cum excidio Hierosolymitano, quod typus erat ultimi excidii totius mundi. Nam de signis illis plerisque dicendi occasionem præbuerunt Apostoli, qui Christum conjunctim interrogabant, quando illa sint futura, quæ de everfione templi prædixerat, & quodnam signum sit adventus sui ad judicium *Matth. 24. v. 3. Marc. 13. v. 4. Luc. 21. v. 7.* persuasi enim erant, Hierosolymæ excisionem in secundo demum Adventu Christi futuram.

L III Hu-

LIII. Hujusmodi signa (1) sunt, *Heresium multiplicatio*, de qua legitur *Matth. 24. v. 5. 11. 23. 24. Marc. 13. v. 6. 21. 22. Luc. 21. v. 8.* Signum hoc etiam Daniel notavit, cum de Antichristo vaticinatur, Deum Patrum suorum non reputabit, & Deum Mauzim ipsius loco venerabitur, *Dan. 11. vers. 38.* Et Paulus de Antichristo ait, adversatur & tollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, in templo Dei sedebit, & ostendens se, tanquam sit Deus, *2. Thess. 2. v. 4. Conf. 1. Tim. 4. v. 1. 2. Tim. 4. v. 3. 1. Joh. 2. v. 18. 2. Pet. 2. v. 1.* Hinc Augustin. *tractat. 25. in Johan.* quoniam accedit finis mundi, crescit iniquitas, & infidelitas. (2) *Orbis terrarum per bella, pestem, terræ motus & alias plagas concussio*, de qua legitur *Matth. 24. v. 6. 7. 8. Marc. 13. v. 7. 8. Luc. 21. v. 9. 10. 11.* (3) *horribilis piorum persecutio*, de qua legitur *Matth. 24. v. 9. 10. Marc. 13. v. 9. 12. Luc. 21. v. 12. 13. 16. 17.* Consentit Daniel & Apocalypsis Johannis de persecutione Antichristi ante finem mundi *Dan. 11. v. 44. Apoc. 12. v. 4. 13. 6. 13. v. 7. cap. 17. v. 6. &c.* (4) *Caritatis amissio & multorum flagitiorum multiplicatio*, de qua legitur *Matth. 24. vers. 12.* abundabit iniquitas & refrigescet multorum caritas. Postea amplificatur hoc signum collatione temporum novissimorum cum temporibus Nöæ ante diluvium *v. 36. Luc. 17. v. 18. Conf. Paulum 2. Tim. 3. v. 1. & Petrum 2. Pet. 3. v. 3.* (5) *Universalis per totum orbem Evangelii prædicatio*, de qua legitur *Matth. 24. vers. 14. Marc. 13. v. 10.* factum quidem hoc est jam tum ante excidium Hierosolymitanum: nam tempore Apostoli Pauli Evangelium jã venerat in universum mundum, & fructificarat, ut ipse ad Coloss. scribit *cap. 1. v. 6.* unde & Hieronymus *in cap. 24. Matth.* scribit: non puto aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret; nihilominus applicari quoque potest ad novissima tempora, quibus Evangelium è tenebris Antichristi erutum universo orbi Christiano mira celeritate iterum illuxit, ideò in Apocalypsi legitur de Angelo volante, per medium cœli, habente Evangelium æternum *Apoc. 17. vers. 6.* quod de postremo Ecclesiæ reformatore B. Luthero intelligunt interpretes orthodoxi. Hæc de signis communibus excidio Hierosolymitano & extremo dici.

LIV. Deinde sunt signa quædam *propria* finem mundi notantia, & hæc iterum sunt distincta. Quædam sunt *Ecclesiastica*, ut est *revelatio Antichristi*, quam D. Paulus finem seculi antegressuram prædixit 2. *Thess.* 2. v. 3. cum quo consentiunt etiam Scripturæ aliæ, ut *Malach.* 4. v. 5. *Apoc.* 14. v. 18. Quædam sunt *Politica*, ut insignis quartæ Monarchiæ *debilitatio*, de qua *Daniel.* cap. 2. vers. 31. vaticinatur, quod nimirum sub finem mundi Monarchia illa similis sit futura ferro cum luto commixto, quia nimirum proceres regni commiscebuntur, sed non adhærebunt sibi, sicut ferum non potest misceri luto. Plenior hujus vaticinii explicatio videatur alibi. Quædam sunt *Oeconomica*, quæ in re familiari & domestica omnium maximè animadvertuntur. Erit enim interris pressura, afflictio, angustia, & anxietas gentium, præ stupore, *Luc.* 21. v. 25. Anxietas erit & coarctatio cordis, quin & planctus omnium tribuum terræ, *Matth.* 24. v. 30. ob varios morbos, ob pestem & famem, ob bella bellorumq; rumores, ob persecutiones hostiles, quorū omnium expressa fit mentio, *Matth.* 24. v. 7. consurget gens contra gentem, & regnum contra regnum, & erunt pestilentia, & fames & terræ motus per loca; & v. 9. tunc tradent vos in tribulationem & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Quædam erunt *Cælestia*, seu in creaturis cælestibus. Erunt enim signa in Sole & Luna & in Stellis, & virtutes cælorum commovebuntur, *Luc.* 21. v. 25. Intelliguntur autem Eclipses Luminarium, chasmata, Cometæ, & similia *Φαινόμενα*; quæ quidem causas habent naturales, sed quia crebrò fiunt, mundi finem fortius arguunt, quemadmodum epilepsia frequentius iterata tandem homini minatur mortem. Per commotionem virtutum cælestium intelligitur defectus & debilitas virium in corporibus cælestibus, quia cælū subinde instar vestimenti veterascit *Psal.* 10. v. 27. Stellæ de cælo cadunt, quando exhalationes in aere accensæ post conflagrationem decidunt, multò mirabilius, quàm nunc fit, interprete Augustino *lib. 20. de Civ. Dei.* c. 20. Quædam sunt *elementaria*. Erit enim sonitus maris & fluctuum. *Luc.* 21. v. 25. terra quoque movebitur, & tota rerum universitas turbabitur, ante Christi ultimum adventum, omnis enim creatura nobiscum ingemiscit,

ac

ac parturit, expectans liberationem sui à vanitate, & revelationem filiorum Dei *Rom. 8. v. 19. seq.*

LV. Hæc signa à Christo producta nonnulli (imprimis Pontificii) proximè diem novissimum antegressura, adeoque illo ipso momento, quo Christus veniet ad iudicium, eventura arbitrantur, ita enim scribit Orosius *Tom. 5. Conc. ad verb. Christi Luc. 21. & erunt signa &c.* Non loquitur Evangelista de signis istis, quæ frequenter à nobis sine aliqua admiratione conspiciuntur, ut Eclipses, Bella, fames & alia hujusmodi &c. sed erunt tunc alia signa horribilia, sanè adeoque metuenda, ut præ eorum timore homines arescant, stupeant & exanimati concidant. Alphonsus Salmeron *tract. 40. Tom. 4.* Ante iudicium (inquit) Deus miraculosè subtrahet Soli lumen, atque ita obscurabitur, interjectione corporum inter cælum & nos à Deo facta, ut in passione nonnulli factum putant &c. Gregorius de Valentia *Tom. 4. Comm. in Thomam* signum antecedens proximè Domini adventum & mundi consummationem, erit obtenebratio Solis & Lunæ & casus stellarum de cælo. Hoc autem non est futurum sper Eclipsin aliquam, cum hoc non possit contingere simul in Sole & Luna: ideò dicamus divinâ virtute privatum iri suo lumine Solem ac Lunam, vel obscuratum iri, nec illustret aerem & nos, suspendente nimirum Deo suum cursum ad id necessarium, vel, quod aliqua densissima nubes opposita Soli & Lunæ omnimodas tenebras oculis mortalium offusura sit, in toto terrarum orbe.

LVI. Etsi verò credibile est, prodigia cæli & terræ paulò ante mundi finem fore quamplurima & insigniora, uti B. Lutherus iudicat *in Postil. Domest. edit. VVitteberg. f. 5. 6.* ea tamen signa, quæ Christus in Sole, Luna, stellis, terra & mari novissimum diem antegressura prædixit, non tantùm de iis, quæ proximè cum interitu mundi sunt connexa, intelligenda esse, ex aliquot documentis constat.

LVII. Primùm enim pii conspectis illis signis jubentur elevare capita, & redemptionem suam appropinquantem videre *Luc. 21. v. 28.* Hoc verò fieri non potest, si eodem in momento, universalis mundi interitus est futurus, siquidem eam ad rem intervalum aliquod requiratur inter signa illa præcedentia & ultimum diem: ultimus autem dies ex improviseo veniet, ut fur in nocte.

LIIV. De-

L VIII. Deinde signa cum ipso mundi interitu conjuncta videbuntur tantum ab iis, qui supervicturi sunt in novissimo die; si verò nulla alia sunt in Sole, Luna, Stellis, quàm illa, sanè reliqui, qui talia infueta & extraordinaria non vident, securi erunt, quasi procul adhuc sit dies novissimus. Christus autem securitatem præcavens, ipsos etiam Apostolos, quos finem mundi non visuros, probè sciebat; signa illa observare jubet *Luc. 21. v. 28.*

L IX. Tertiò si ista signa nondum facta sunt, nulla ratio est, cur non dicamus, etiam alia, quæ Christus prædixit & Apostoli, ut, quod frigescet caritas in multorum cordibus, quod audientur bella & bellorum rumores, quod postremis diebus tempora erunt periculosa &c. nondum sint impleta, sed alio adhuc secuturo tempore implenda.

L X. Quartò, B. Lutherus etiam opinionem illorum, qui non alia, quàm quæ proximè cum fine mundi cohærent signa intelligunt, improbavit in *Postil. Domest. f. 5. & 6.* ubi scribit: *signa illa, quorum Christus meminit, non ad unum aliquod certum tempus esse restringenda, quasi ea omnia tantum paulò ante novissimum diem sint ventura, & is tantum, qui diem illum supervicturi, conspicua: sed in genere loquitur, de omnium generum signis, quæ passim in mundo ante finem seculi sunt futura: & paulò post; signa ista in caelo, sive naturali sive præternaturali modo fiant, tamen signa sunt, à Deo ad hoc ordinata, ut mundo aliquid significant, quemadmodum semper solares & Lunares Eclipses, quarum hæctenus multas habuimus, aliquid significant. Hæc Lutherus; cum quo concludimus, non est, ut simus curiosi, quomodo, quando, quàm prope ante novissimum diem talia signa eventura sint: sufficit, discere nos, Christum nos admonere velle, quod, quemadmodum Deus semper in mundo multis & magnas iræ & pœnarum indicinas fecit, ita porrò talia signa duratura, quæ gravissimas peccatorum pœnas secum afferent; postremis autem temporibus imprimis copiosè aggravabuntur & multiplicabuntur.*

CAP. V. L XI. Cum ergò certum sit, finem seculi futurum, eumq; non *Quæ in fine seculi expectanda sint?* procul, sed quasi præ foribus nostris esse, multis & memorabilibus signis notatum, piè & utiliter quæritur, quid in fine seculi sit expectandum? ubi se diversa offerunt, quæ veram in nobis pietatè alere & ad finem seculi piè præparare nos possunt, quæ quo ordine sibi

sibi successura sint, disputatur quidem à Theologis; sed nos cum Augustino ex lib. 2. de Civ. Dei cap. 30. dicimus: *Ea omnia quidem ventura esse credendum est, sed quibus modis, & quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc valet consequi ad perfectam hominum intelligentiam.* Optimus tamen ordo videtur hic esse: (1. primus in ordine erit ultimus Christi adventus. 2. resurrectio mortuorum. 3. judicium novissimum. 4. conflagratio mundi. 5. novi cœli & terræ creatio. 6. regni Christi mutatio, de quibus omnibus adhuc dicendum restat.

LXII. Adventum Christi ultimum negarunt quidam empetæ tempore Apostoli Petri, de quibus supra audivimus ex 2. Pet. 3. operæ pretium igitur est, ejus certitudinem ex sacris firmare literis: Est enim Articulus fidei Apostolicæ, quâ credimus, Christum venturū de cœlo ad judicandum vivos & mortuos. Primū igitur extant ea de re expressa Scripturæ testimonia Psal. 9. v. 8. Dominus in æternum manet, in judicio paravit thronum suum Esai. 66. v. 15. Ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ ejus redde- re in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis, quia in igne Dominus dijudicabit, & in gladio suo omnem carnem. Et jam olim septimus ab Adam Patriarcha Enoch de hoc adventu Domini, sub primis mundi exordiis, vaticinatus est: Ecce veniet Dominus cum multis millibus suis facere judicium contra omnes & arguere omnes impios, & de omnibus operibus impietatis eorum quibus impiè egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra eum omnes peccatores impii, teste Apostolo Juda in sua epist. vers. 15. Deinde Christus ipse multis admonitionibus, vaticiniis & signis diem novissimi sui adventus notavit, Matth. 24. per multos versiculos: & cap. 25. v. 35. Luc. 21. v. 25. 34. Denique ita requirebat justitia Dei. Multi enim pii in hoc mundo flagellantur tota die, florentibus interim reprobis: oportet ergo Deum redire ad judicium, ut promissiones piis factas impleat, & reprobis secundum opera sua retribuatur, sicut minatus est eis Ezech. 7. v. 17. secundum viam eorum faciam eis, & secundum judicia eorum judicabo eos, & scient, quia ego Dominus.

1. Adventus Christi ultimus.

D

LXIII.

LXIII. Quemadmodum autem primus adventus fuit filii Dei, qui in plenitudine temporis missus est à Deo Patre in mundum, natus de muliere, factus sub lege, *Gal. 4. v. 1.* ita adventus ultimus erit filii hominis, secundum quam naturam suam aspectabilem, iudicium illud visibile publicum solenne & universale exercebit, qua de re ipse Dominus loquitur *Joh. 5. v. 22.* Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant Patrem; Et *vers. 27.* Pater dedit filio potestatem etiam iudicium faciendi, quatenus filius hominis est. Ideò Paulus dicit, Deum constituisse iudicare mundum per virum, in quo statuit *Act. 17. vers. 31.* Christus ipse Adventum suum ultimum ita intimavit *Matth. 26. vers. 64.* Amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.

LXIV. Apostolus Paulus hunc Adventum vocat ἀποκάλυψιν, revelationem Domini Jesu de cœlo; 1. quia ante istum Adventum, post suam in cœlos ascensionem, corporeis nostris oculis ordinariè non cernitur: 2. quia iudicia ejus non semper sunt conspicua, cum sæpè malis in hoc mundo benè sit, & bonis malè. Est ergò dies sui adventus manifestatio Domini Jesu, qui visibiliter apparebit in nubibus cœli, & sententiam dicet omnibus notam, eamq; in conspectu omnium hominum exequetur.

LXV. Terminus à quo, seu unde venturus est, cœlum est, de quo in symbolo dicimus, unde venturus est iudicare vivos & mortuos, & D. Paulus in loco prius notato docet, Dominum Jesum, revelatum iri de cœlo. Calviniani hoc intelligunt de cœlo aliquo creato, in quo corpus Christi quasi inclusum, & velo quodam tectum sit, quo remoto in ultimo suo adventu revelandus sit, & præsentandus quasi ante absens in terris. Ita enim scribit Zanch. *sup. cap. 1. 2. Thess. Tom. 6. oper. f. 436. absconditus est pius, quia corporali præsentia abest: & ubi? in cœlo, unde revelandus est: ideo ait, de cœlo. Isti ergò cœli velum sunt, quo impedimur, ne illum videamus. Et iterum: cœlam intermedium velum quoddam sunt, quo tectus à nobis videri non potest Dominus Jesus. Revelare enim quid est aliud, quam ablato velo aliquid retegere?*

LXVI.

LXVI. Sed Resp. 1. nondum probatum est, quod *ἐκ τοῦ οὐρανοῦ*, unde Christus venturus est, sit cœlum aliquod locale & creatum supra firmamentum, ut ipsi quidem somniant, verum absq; omni scriptura, quæ testatur, cœlos creatos igne perituros, Christus autem corpore suo in cœlo semper manet. Veniet ergò de cœlo, non tanquam de loco aliquo superno, sed ex throno majestatis suæ prodibit, & (ut Paulus loquitur) revelabitur, & quidem non in terra, quasi antea ab ea absens fuerit, sed in nube, *Matth. 26. v. 64.* quæ ejus revelatio non respectu præsentia, sed intuitus ejus describitur: Et videbit eum omnis populus *Apoç. 1. v. 4.* revelabitur ergò Dominus de cœlo, quando carne sua, qua jam in medio nostrum est, *Matth. 18. v. 20.* visibiliter rediturus est ad judicium. Atque sic interpretatur Christi reditum & revelationem D. Ambros. in cap. 10. Luc. sup. parabolam de eo, qui inter latrones cecidit: *Quando reverteris, Domine, inquit, nisi in die judicii? Nam licet ubiq; sis semper & stans in medio nostrum, non cerneris à nobis: erit tamen tempus, quo universa caro te aspiciet revertentem.*

LXVII. 2. Libenter concedimus, *τὴν ἀποκάλυψιν*, juxta Etymon vocis, nihil aliud esse, quàm rei alicujus, remoto velo, refectionem; non tamen sequitur, quod *ἀποκάλυψις τῆς χρείας* præsupponat corporalem ejus à terris absentiam. Primum enim non agit Paulus de revelatione *Carnis Christi* in supremo quodam cœlo inclusa, & intermediis cœlis obvelata, sed de revelatione *Christi*, à quo *λόγος* non est exclusus, cujus vel solius intuitu interpretatio ista locum habere nequit, is enim nullo prorsus velo regi potest. Deinde Paulus alibi scribit, Deum revelasse filium suum in se, *Gal. 1. vers. 16.* certè non quasi ei antea fuisset absens, Christum enim in se vivere ait *Gal. 2. v. 20.* & in corde suo habitare *Ephes. 3. v. 17.* Sed (quemadmodum ipse addit) ut Evangelizaret ipsum in gentibus: Ergò revelatio Christi non significat corporis Christi antea absentis præsentationem, sed mysterii de Christo patefactionem. Sic & Christus in novissimo die revelabitur, non quasi corpore suo antea à nobis abfuisset, sed quia singulari cum gloria ac majestate nobis patefiet.

LXVIII. Deus ipse, licet quoad essentiam nobis semper
præsentissimus, revelari nobis dicitur, quoties ex abscondita sua
luce prodit, & peculiari quodam opere manifestatur, ut in plagis
Ægypti *Exod. 3. 8.* in missione filii *Esai. 40. vers. 5.* in prædicatione
verbi *1. Sam. 3. v. 21.* in custodia Ecclesiæ *Esai. 53. v. 1.* Quibus in lo-
cis omnibus id, quod antea erat occultum, fit manifestum. Sic
& Christus corpore suo revelabitur in iudicio novissimo, ita ut
videatur coram omnibus, qui hæctenus ad dexteram Dei erat in-
conspicuis, nullibi tamen absens aut exclusus. Præterea non se-
quitur, Christus revelatur remoto velo, ergò antea fuit absens: nã
& ea, quæ adsunt, revelantur, remoto velo, quando fiunt conspi-
cua, sicut Antichristus revelabitur sub novissimum Domini ad-
ventum, certè non absens, quia jam tum operabatur mysterium
iniquitatis *2. Thess. 2. v. 7. 8.* Summa revelatio non est absentium, sed
præsentium.

LXIX. Terminus ad quem adventus ultimi erit nubes, ve-
niet enim in nubibus cœli *Matth. 26. v. 64.* quemadmodum etiam
in nube hinc discessit. Rediturus autem erat, quomodo discesse-
rat. In nube autem erit in dextera majestatis, sicut ipse dicit *Matth.*
26. v. 64. videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, &
venientem in nubibus cœli. Hic erit thronus ejus regalis, thro-
nus majestatis suæ *Matth. 25. v. 31.* thronus candidus & flammeus
Apoc. 20. v. 11. *Dan. 7. v. 9.* candor notat innocentiam iudicis, flami-
na ignis partim *claritatem*, quia omnia ei erunt conspiciua, adeo-
que in iudicio non errabit; partim *ardorem*, quia non venturus est
ex odio aut vindictæ desiderio, sed ardore amoris, quo veritatem
& justitiam amat.

LXX. Pontificii terminum ad quem constituunt vallem Josaphat
propè Jerusalem, hunc enim vocant locum iudicii extremi,
quia *Joel. 3. v. 1. seq.* scriptum est: Ecce in diebus illis congregabo
omnes gentes, & ducam eos in vallem Josaphat, & disceptabo
cum eis ibi super populo meo, quos disperferunt in nationibus
&c. In hac valle putant aliqui descensurum Dominum, & iudica-
turum omnes populos ibi congregatos, quos refutat Johan. Alten-
staig in Lexic. Theol. voce *Judicium extremum* fol. 458. Putant qui-
dam

dam, inquit, Dominum descensurum in vallem Josaphat in iudicio, eò quod ipse per Prophetam Joelem sic loquitur, congregabo omnes gentes, & deducam eos in vallem Josaphat, & disceptabo ibi cum eis. In cuius capituli expositione ita reperit. Hoc quidam pueriliter intelligunt, quod in valle, quæ est in latere montis oliveti, descensurus sit Dominus ad iudicium: quod frivolum est, quod non in terra, sed in spacio huius aeris sedebit contra locum montis oliveti, ex quo ascendit.

LXXI. Hujus sententiæ de Christo super montem oliveti apparituro, multi sunt alii, ut *Lyra sup. cap. 3. Joel.* Alphonfus Salmeron *Tom. 9. c. 2.* Christian Adrichomius in *Theatr. terræ sanctæ fol. 172.* Thomas in *opusc. 60. cap. ult. compendium Theolog. veritatis lib. 7. cap. 17.* Jodocus Lorichius in *Thesaur. Theol. voce Iudicium.* Sed scriptura nihil certi habet de loco iudicii; neque in loco Joelis de iudicio extremo agitur, sed de singulari aliquo iudicio Dei, quo vindicaturus erat Ecclesiam N. T. contra hostes, quod quidem ipsum iudicium novissimum non erit, typum tamen ejus esse non negamus.

LXXII. Comites Christi in ultimo adventu erunt S. Angeli. Veniet enim Dominus omnesq; sancti ejus cum eo *Zach. 14. vers. 5.* venient omnes Angeli cum eo *Matth. 25. v. 31.* veniet filius hominis in gloria Sanctorum Angelorum *Luc. 9. v. 26.* veniet cum multis millibus Angelorum Sanctorum, facere iudicium, *epist. Judæ v. 14.* revelabitur de cælo cum Angelis virtutis ejus *2. Thess. 1. v. 8.* Ipse Dominus cum jussu & voce Archangeli descendet *1. Thess. 4. v. 16.* quemadmodum enim Angeli spectatores fuerunt suæ infirmitatis in horto *Matt. 26. v. 4.* Ita æquum erat, ut essent spectatores etiam gloriæ suæ, ideò præstò fuerunt, cum resurgeret à mortuis *Marc. 16. v. 5.* & cum ascenderet in cælos *Act. 1. v. 10.* comparebunt etiam magno numero cum venturus erit ad iudicium, magnâ cum majestate atque gloria.

LXXIII. De officiis Sanctorum Angelorum in hoc actu, pueriliter ineptiunt Pontificii. *Altenstaig* loco prius laudato, Angelos censet laturos ante Christum signum crucis. *Petrus Thyraus* in lib. de glorios. filii Dei apparit. cap. 12. existimat, Angelos in iudicio sustentaturos nubem, vehiculum & sedem iudicis; alios portaturos crucem, clavos, & similia Christi passionis



nis instrumenta, idq; pictorum arte confirmari ait. Sed pictorū ars nihil hoc in genere probare potest: Ergò relinquimus istas nēnias.

LXXIV. Scriptura nobis alia monstrat officia Angelorum, cum Christo venientium, erunt enim administri extremi iudicii, congregabunt electos, sicut scriptum est *Matth. 24. v. 31.* mittet filios hominis Angelos suos cum tuba vocis magnæ, & congregabunt electos à quatuor ventis, à summis cœlorum usque ad terminos eorum. Separabunt malos à bonis; sicut scriptum est *Matth. 13. 2. 41.* mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis *Marc. 13. v. 40.* exhibunt Angeli & separabunt malos de medio justorum. Deducent denique pios in regnum cœlorum, quemadmodum angeli animam Lazari in sinum Abrahæ portarunt, *Luc. 16.*

Resurrectio
mortuorum.

LXXV. Hunc Christi adventum statim excipiet resurrectio mortuorum. Quia enim adventus est ad iudicium, ideò resuscitandi prius sunt homines, ut iudicari queant. Quam ob causam, Christus ipse resuscitationem mortuorum cum iudicio suo coniungit *Job. 5. v. 21. 22.* Sicut Pater suscitatur mortuos & vivificat: sic & filius, quos vult, vivificat. Neque enim Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio: & *v. 26.* Sicut Pater habet vitam in seipso, ita dedit & filio habere vitam in semetipso, & potestatem dedit ei, & iudicium faciendi, quatenus filius hominis est.

LXXVI. Semper autem reperti sunt in & extra Ecclesiam, qui resurrectionem mortuorum negarunt; Quidam secundum totum, ut nonnulli Philosophi, qui Paulum de hoc articulo differentem *σαρμολόγοι* vocarunt, & riserunt *Act. 17. v. 18. 32.* Catullus; Soles, inquit, occidere & redire possunt: Nobis cum semel occidit brevis lux, Nox est perpetuò una dormienda, Sadducæi mortuorum resurrectionem negabant *Act. 23. v. 8.* Hymenæus & Philetus resurrectionem iam factam dicebant, quia per eam intelligebant tantum spiritualem renovationem hominis *2. Tim. 2. v. 18.* Epicuræorum quoque cogitationes referuntur *Sap. 2. v. 5.* umbræ transitus est tempus nostrum, & non est reversio finis nostri; quoniam consignata est, & nemo revertitur. Alii secundum partem negant, ut
Anaba-

Anabaptistæ, Weigeliani & Photiniani, qui hanc ipsam carnem, ratione essentiæ eandem, quam jam circumferimus, resurrecturam negant, quia caro & sanguis regnum Dei non possessura sint, sed Deum aliud corpus mortuis daturum esse, dicunt; vid. Colloq. Franckenthal. artic. 28. Soein. in Respons. ad Puccium p. 20. Ostorod. in Instit. c. 41 Smalz. in lib. de Divin. Christ c. 13.

LXXVII. Contra hos errores credimus (1) quod resurrectio corporum certò futura sit in fine seculi, in cuius signum & in V. & in N. T. mortui quidam jam resuscitati sunt 1. Reg. 17. v. 22. 2. Reg. 4. v. 35. Luc. 7. v. 14. Matth. 9. v. 25. 26. Job, 11. v. 44. Quin & Christus ipse sua resurrectione huic rei fidem fecit, quæ propterea cum resurrectione fideiû firmissimo nexu conjungitur 1. Cor. 15. v. 12. 2. Cor. 4. v. 14. 1. Theß. 4. v. 14. Matth. 27. v. 52. 53. Act. 9. v. 40. cap. 20. v. 10. Reliqua argumenta vide apud Theologum eximium Dn. D. Joh. Gerhardum, qui ea magno studio collegit Tom. 8. L. C. p. 973. seq. Nos hoc in loco tantùm intendimus, quod Christus in fine seculi sit resuscitaturus mortuos voce sua, hoc ipse clarè testatur Job. 5. v. 28. Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, *audient vocem ejus*, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii. Et Job. 6. v. 39. seq. Ego resuscitabo eum in die novissimo. Cum quo consentit Job. 19. v. 25. Scio quod Redemptor meus vivit, & in novissimo super pulverem me statuet. Unde etiam Salvator noster ipsa resurrectio & vita, vocatur Job. 11. v. 25. & autor vitæ Act. 3. v. 15.

LXXIX. Ab hoc opere non est exclusa humana natura, quia est opus officii sui regii, quod ad utramq; Christi naturam pertinet, nec est naturarum in operando statuenda divulsio, quia operatio est totius personæ, & potestas judicium faciendi (ad quod pertinet etiam resuscitatio judicandorum) data est ipsi, quatenus filius hominis est; vox etiã illa, quã resuscitabit mortuos, est vox filii hominis Job. 5. v. 27. Ideò in diebus carnis suæ, quando mortuos suscitavit, & manum & vocem suam humanam adhibuit, quia λόγος per carnem tanquam vivificum suum & proprium organum operatus est, qua de re Theophylactus in cap. 7. Luc. Non verbo tantùm miracula operatur, sed & loculum attigit, ut discamus, quod
corpus

corpus ejus est vitæ corpus Quia enim caro propria est verbi facta omnia vivificantis, idcò & ipsa est vivifica, & mortem corruptionemq; tollit.

LXXIX. 2. Deinde credimus, quod eadem numero corpora resurrectura sint, quoad essentiam, quæ hic ceciderunt, mutatis tantum qualitatibus. Id enim B. Job testatur *cap. 19. v. 26. 27.* rursum circumdabor pelle MEA, & in carne mea videbo Dominum, quem visurus sum EGO MIHI, & OCULI MEI conspecturi sunt, & non ALIENUS. Consentit Esaias *cap. 26. v. 19.* *vivent mortui tui, cadavera mea resurgent, Sie werden mit den Zeichen aufferstehen/* quasi digito monstrantes corpus, quod hac in vita circumgestant. Huc pertinet, quod Deus omnia piorum ossa custodire dicitur, unum ex illis non peribit *Psal. 34. v. 21.* idque requirere videtur æquitas, ut nimirum homines in eo ipso corpore, in quo vel bona vel mala egerunt, vel præmiis ornentur, vel poenis mulcentur.

LXXX. Quod autem Paulus *1. Cor. 15. v. 44.* scribit, seminatur corpus animale, *surget spirituale*, id non ad essentiam, sed ad qualitates corporum pertinet. Non enim corpus post resurrectionem mutabitur in Spiritum, non carebit stomacho, non carne sanguine & ossibus, ut nugatur *Valent. Smalz. in refutat. Smiglecii p. 33. & 157.* sed essentia manebit, qualitates hujus seculi mutabuntur. Hac in vita corpus est animale, quia vitam vivit animale, indigens alimentis ad conservationem naturæ, & generatione ad conservationem speciei; spirituale est; partim quia spiritibus cœlestibus simile est, non egens cibo & potu, nec generatione ad conservationem speciei: partim etiam, quia regitur Spiritu S. & ad obeundas spirituales actiones maximè idoneum est, juxta illud Augustini *de fid. & Symbol. cap. 6.* Corpus spirituale est, quod spiritui promptum præstabit obsequium, omni fragilitate ac labe terrenâ in cœlestem puritatem ac stabilitatem mutatâ ac conversâ.

LXXXI. Porro, quomodo resurrectio mortuorum sit futura. D. Paulus duobus in locis classicis explicavit, *1. Cor. 15. v. 51. 52.* scribit, omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur, in momento, in ictu oculi, in novissima tuba (canet enim tuba) & mortui resurgent

resurgent incorrupti & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem *1. Theß. 4. v. 15.* nos qui vivimus, qui residui sumus in adventu Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt; quoniam ipse Dominus in jussu & voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi: Deindè nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus.

LXXII. Christus igitur in adventu suo secundo *descendet de cælo*, hoc est, in majestate sua manifestabitur, cujusmodi manifestatio majestatis divinæ in Scriptura descensus appellatur *Gen. 11. v. 7. Exod. 19. v. 11. 2. Sam. 22. v. 10. Psalm. 144. v. 5. Matth. 3. v. 16.* Descendet autem *cum hortatu ἐν κελύσματι*, quod propriè est clamor nauticus, quò se mutuò ad labores excitant. Præcedet ergò quasi vox præconis, qua via adventanti Domino præparabitur. Veniet etiam cum voce Archangeli, & tuba Dei, quod Christus ita exprimit *Matth. 24. v. 31.* mittet Angelos suos cum tuba & voce magna: quæ duo nonnulli intelligunt de voce ipsius Filii Dei, vel de imperio ac mandato Christi, quo evocabit mortuos ad resurrectionem, & judicium, ut Flacius in Clavi, voce *Tuba*, interpretatur. Alii intelligunt de clangore ab Archangelo (fortè Gabriele, quia Christus nuspiam appellatur Archangelus) jussu Dei excitato: Quemadmodum enim Dominus primum suum adventum per Archangelum annunciavit; ita etiam adventum ultimum per Archangelum annunciari curabit. Et propter hunc clangorem vocatur dies novissimus, *dies tubæ & clangoris*, *Sophon. 1. v. 16.* Usus ejus erit ad excitandos mortuos, & convocandos ad judicium excitatos; Nam ut est in veteri hymno;

*Tuba mirum spargens sonum,
Per sepulchra regionum,
Coget omnes ante thronum.*

Et Theophylact. summam vocis illius Angelicæ hanc esse scribit; Apparate vos omnes, judex enim præstò est. unde Hieronymus in lib. de timor. ultim. judicii cap. ult. Tunc ad vocem tubæ pave-

E

bit

bit terra: & paulò post: sive leges, sive scribes, sive vigilabis, sive dormies, hæc tibi semper buccina in auribus sonet.

LXXXIII. Ad illam ergò vocem resurgent mortui in Christo primùm. Pii enim (qui dicuntur in Christo mortui) primas habebunt non tantùm præ impiis, qui post illos resurrecturi sunt, verùm etiam præ iis omnibus, quos novissimus dies superstites inveniet. Hos enim in gloria præcedent, quia Christus subitò corpora ipsorum resuscitata glorificabit, & corpori suo glorioso conformia faciet *Phil. 3. v. 21.* Deinde qui relinquuntur simul cum illis resuscitatis piis, obviam Domino rapientur in aera. In quo raptu subitò eos morituros putavit Augustinus *lib. 20. de Civ. Dei cap. 20.* deceptus vitiosa versione loci *1. Cor. 15. v. 50.* omnes quidem resurgemus &c. (de quo loco egi in Cõmentariis illius epistolæ p 876.) Sed alibi quæstionem hanc in medio reliquit, in eam tamen inclinavit sententiam, quod superstites illi non sint morituri, sed vivi reperti in illam immortalitatem, quæ Sanctis etiam cæteris datur, repentè mutandì, & simul cum illis rapiendi in nubibus. Vid. *libr. de 8. quæst. Dulcitii quæst. 3.* Non ergò mors, sed analogum quiddam morti continget illis, immutatio nimirum subita qualitatum in ipsis: idq; in momento & in icu oculi, ait Paulus, quanquam externa illa corporum è mortuis resuscitatio sit successiva, cui aliquod temporis spacium tribui, non est absurdum.

**Judicium
extremum.**

LXXXIV. Resuscitatis jam hominibus continuò sequitur **Judicium**, propter quod filius hominis in ultimo suo adventu de coelis revelatus fuit. Resuscitati enim homines & in extremo adventu superstites inventi, & immutati subitò sistentur coram tribunali Christi, *Rom. 14. vers. 11.* Et iterum: omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi *2. Corinth. 5. vers. 10.* unde Christus vocatur iudex universæ carnis *Gen. 18. vers. 25.* qui iudicaturus est orbem terrarum *Act. 17. vers. 31.* iudex vivorum ac mortuorum futurus, hoc est, tam eorum, qui jam diem suum obierunt, quàm qui in die iudicii superstites & vivi reperti ac sine ulla morte, immutati fuerunt.

LXXXV. Ab hoc iudicio ne quidem infantes sunt excepti; Ideò monstrantur D. Johanni in conspectu agni mortui pusilli & magni

magni *Apocal. 20. vers. 12.* etiam pii comparituri sunt in hoc iudicio etiam si non veniant in iudicium *Johan. 5. vers. 24.* ut publica suorum operum testimonia ac præmia accipiant: & impii non erunt exclusi, licet dicatur, eos jam iudicatos esse *Johan. 3. vers. 16.* oportet enim improbitatem ipsorum manifestari omnibus, cum coram aliquibus eam in hoc mundo tegere studuerint. Summa, omnes oportet manifestari ante tribunal Christi. Quin & Angeli sunt iudicandi, non quidem boni, ut putat *Petrus Thyrens* de glorios. Christi apparit. cap. 12. sed tantum mali, de quibus scriptum est: An nescitis, quod Angelos iudicabimus? *1. Cor. 6. v. 3.* Sed de his omnibus prolixius egi in *Adventu typico, typ. 5. pag. 291. seqq.*

LXXXVI. Assessores iudicis erunt (1) Apostoli, ad quos Christus *Matth. 19. vers. 28.* & *Luc. 22. vers. 30.* Vos qui secuti me estis, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim tribus Israel. *Conf. Apoc. 4. v. 4. cap. 11. vers. 6.* (2) Sancti & fideles, de quibus *Sap. 3. vers. 7.* iudicabunt nationes, & dominabuntur populis. Et *1. Cor. 6. vers. 2.* an nescitis, quod sancti mundum iudicabunt? quin & Angelos iudicabimus *vers. 3.* scil. malos. Etsi enim Christus iudex cordium, scrutator & ipsa Patris Sapientia nullius hominis consilio opus habet: Sanctos tamen assessores asciscet, propter approbationem & testimonium iudicii sui, Apostolos verò partim approbationis, partim etiam honoris gratiâ, quia hac in vita ipsi iudicari Christo proximi semper à latere fuerunt, quem dignitatis gradum neque in ultimo Christi adventu amissuri sunt, juxta promissiones ipsis factas, *Matth. 19. v. 28. Luc. 22. v. 30.*

LXXXVII. Erunt ergò Sancti & iudices suo modo & ipsimet iudicandi. In iudicio enim Domini separabuntur à reprobis, tanquam oves ab hœdis, illis ad dextrum latus Christi, his ad sinistrum collocatis *Matth. 25. v. 32.* Sententiam Christi omnes audient, sed his obmurmurantibus, illi applausu suo eam comprobabunt, & de infallibilitate iudicis ac rectitudine iudiciorum suorum testabuntur, & sic iudicare mundum dicentur.



LXXXVIII. Norma iudicii erunt libri tum aperiendi, de quibus *Dan. 7. v. 10. Apoc. 20. v. 12.* legitur: Qui sunt (1) liber vitæ, in quem electi inscripti sunt ante constitutionem mundi *Dan. 12. v. 1.* in die enim iudicii sanctis omnibus manifestum fiet, quinam fuerint in hoc libro scripti. (2) Libri sacrarum scripturarum, quæ habent verba vitæ, & quæ credenda sunt, & facienda præscribunt. (3) Liber conscientia, qui tunc aperietur coram omnibus, & quid quisque in conscientia sua habuerit, manifestum fiet. (4) Liber testimoniorum, quæ tunc quilibet dabit aliis, sive injuriâ, sive misericordiâ ab eis fuerit affectus.

LXXXIX. Ex his libris sententia dicetur super pios atque impios; quo ordine, non exactè constat. Christus enim in descriptione hujus actus initium facit à piis: Venite benedicti *Matt. 25. v. 34.* Apostolus Paulus à reprobis, *2. Theff. 1. v. 8. 9.* revelabitur. (inquit) Dominus Jesus de cælo, qui dabit vindictam iis, qui Deum non noverunt, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi: qui poenas dabunt in interitu æternas à facie Dei, & à gloria virtutis ejus, cum venerit, ut glorificetur in sanctis suis, & admirabilis fiet in omnibus, qui crediderunt, in die illo.

XC. Sententia piis dicta ita habet, *Matt. 25. v. 34.* venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare; sitivi & dedistis mihi bibere; hospes eram, & collegistis me; nudus, & operuistis me; in carcere eram, & venistis ad me. Venire eos jubet, novam offerens vocationem, ad cernendam plenam hæreditatem in cælis, ad quam & antea vocati erant, cum membra fierent Ecclesiæ, sed suo demum tempore futuram. Deinde eos novo vocat nomine, *Benedictos Patris*, qui antea erant ob peccatum maledicti; hoc est novum illud nomen, ad quod applicare possumus illud *Esa. 62. v. 2.* vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini locutum est. Tertiò introducuntur in possessionem regni cælestis, *possidete, seu hereditate regnum paratum vobis ab initio mundi.* Hoc est regnum gloriæ, quod speramus hinc in regno gratiæ, spe enim salvi sumus *Rom. 8.* Hoc nobis *ab initio mundi paratum*, quia Deus nos ad illud elegit, antequam jacerentur fundamenta

menta mundi, *Ephes. 1.* Est ergò regnum gratuitum (1) quia hære-
ditas nostra est, quæ non debetur mercenariis ut meritum, sed da-
tur filiis, ut donum gratuitum. (2) quia paratum nobis est ante
constitutionem mundi, cum nondum nati essemus, & neque ali-
quid boni aut mali facere possemus, quemadmodum in Jacobo
& Esavo illud præfiguratum fuit, teste Apostolo *Rom. 9. v. 11.*

XCI. Quod autem additur: *Esurivi enim, & dedisti mihi cibum, sitivi, & dedisti mihi potum*, nequaquam fiunt opera illa misericordiæ causa vitæ æternæ, ut Pontificii volunt (vide *Bellar. lib. 5. de Justific. cap. 3.*) repugnat enim hæc interpretatio analogiæ fidei, quæ docet, vitam æternam esse donum Dei *Rom. 6. vers. 23.* repugnat etiam præcedentibus, ubi vita æterna vocatur hæreditas, quæ gratis datur non merentibus, sed credentibus, & quidem hæreditas parata nobis antequam vel nos nati, vel mundus factus esset: Sed notatur duntaxat Qualitas hæredum, qui pleni sunt operibus bonis, quibus fidem suam declarant. Atque sic particula (*enim*) non est causalis, sed ratiocinativa, quæ à consequente effectu infert præcedentem causam: quo pacto usurpatur *1. Cor. 10. v. 5.* plures illorum non approbavit Deus: prostrati sunt enim in deserto: ubi prostratio Israelitarum non est causa improbationis, sed ejus Regnum, ex quo constabat, eos Deo acceptos non fuisse.

XCII. Hunc in modum D. Paulus illam Christi sententiam exprimit, in *2. Theff. 1. v. 10.* ubi dicit, Christum venturum, ut glorificetur in sanctis suis, & mirabilis fiat in omnibus, qui crediderunt in die illo. Credentibus ergò assignatur præmium vitæ æternæ, in hunc finem, ut glorificetur Christus in ipsis, manifestatione bonitatis ac potentiæ suæ, celebratione nominis sui, quæ fiet à Sanctis sine fine, *Apoc. 5. v. 13.* præconio Sanctorum angelorum, qui & ipsi electis congratulantes, dignum judicabunt agnū, qui occisus est, accipere virtutem, divinitatem ac sapientiam, fortitudinem, honorem & benedictionem, *Apoc. 5. v. 11.*

XCIII Sententia Judicis super impios dicta hæc est: *Itē maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus. Esurivi enim, & non dedisti mihi cibum; sitivi, & non dedisti mihi potum &c.* Geminam eis poenam dicit: (1) discessum à facie sua: non enim



signi sunt faciem Christi videre, quem sua beneficiâ in membris suis non dignati sunt. Hæc autem pœna sufficit damnatis, ait Chrysoſtomus, Deum non videre. (2) ignis æternus, qui est ignis infernalis, ideò Diabolis paratus dicitur. Quod autem addit, *Eſurivi enim, & non dedisti mihi cibum &c.* illud enim etiam non notat propriè causam, sed notam damnatorum. Causa enim damnationis formaliter sumtæ est incredulitas, quam Christus hoc in genere semper assignat *Marc. 16. v. 16. Job. 3. v. 18. 36.* incredulitas autem in corde latens agnoscitur ex operibus pravis, præsertim ex immiseriordia erga Christi membra.

XCIV. De hac pœna damnatorum varia quærentur, ut, *qualis sit ignis, quo cruciabantur, an materialis & elementaris*, ut volunt Pontificii, (vide Bellar. lib. 2. de purgat. cap. 11.) & ex Calvinianis Zanchius in cap. 1. epist. ad Theſſal. Tom. 6. oper. fol. 458. *an ex pœnis infernalibus aliqua sit damnatorum liberatio*, ut censuit Origenes teste Augustino de hæres, hæres. 43. & de Ecclesiast. dogmat. cap. 9. *an Diaboli & impii in novissimo die plane in nihilum sint redigendi, ut nulli eorum sint cruciatus*, ut placet Photinianis: vide Smalz. in refut. disput. 7. D. Franz. & Socinum cont. Volanum part. 2. fol. 206. sed de his omnibus sufficienter egi in comment. 2. Theſſ. sup. cap. 1. part. 2. quæst. 4. & 5. Tempus est, ut ad alia opera in fine seculi futura, accessum faciam.

Conflagratio mundi.

XC V. Judicium igitur extremum excipit conflagratio mundi, de qua habemus certa sacrarum literarum testimonia. Cœli sicut fumus liqueſcent *Esa. 51. v. 6.* Qui nunc sunt cœli & terra sermone Dei reposita igni reservantur in diem judicii &c. *2. Pet. 3. v. 7.* in die Domini cœli magno impetu transibunt, elementa verò igni accensa solventur, terra autem & quæ in ea sunt opera exurentur, *2. Pet. 3. v. 10. 13.* Sic Christus venturus dicitur in flamma ignis, dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi *2. Theſſ. 1. vers. 8.* Hinc dies novissimus venire dicitur succensus quasi ignis *Mal. 4. v. 1.*

XC VI. Autor hujus conflagrationis erit Deus: cujus enim est creare mundum, ejusdem etiam est eundem consumere: ideò ipse

ipse mutare dicitur coelos opera manuum suarum *Psal. 102. v. 27.* in igne judicare legitur, & in gladio suo ad omnem carnem *Esa. 66. v. 6.* Et si enim Dei est sustentare mundum à se conditum, siquidem omnia in eo consistunt *Col. 1. v. 17.* quia tamen huic operi suo certum posuit durationis terminum, ideò veniente isto termino. subtrahit ipse manum suam, & ante faciem ejus collabuntur omnia, juxta dictum *Psal. 104. v. 29.* avertente te faciem, turbabuntur, auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur.

XCVII. Instrumentum hujus everfionis erit ignis, teste Petro *2. Pet. 3. v. 7. 10.* ideò Deus in igne venire dicitur ad judicium. *Psal. 11. v. 6. Psal. 50. v. 3. Esa. 66. v. 15. 16. 2. Theff. 1. v. 8. Apoc. 4. vers. 5. cap. 20. v. 9. &c.* Improbamus itaq; opinionem Senecæ, qui lib. 3. natural. quæst. mundum per aquas periturum censet. Sed hoc est (1) contra claram Dei promissionem *Gen. 8. v. 21.* Non ultra percutiam omnem animam viventem, SICUT FE CI, nimirum per diluvium: Et adhuc clarius *cap. 9. v. 15.* cum obduxero nubibus coelum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor foederis mei vobiscum, & cum omni anima vivente, quæ carnem vegetat: & non erunt ultra aquæ diluvii ad delendam universam carnem. (2) Est contra assertionem D. Petri, qui postremum mundi interitum ab interitu mundi primi distinguit per causam instrumentalem: ille per diluvium factus est; hic per ignem futurus est. Vide locum prius laudatum ex *2. Pet. 3. v. 5. 6. 7.*

XCVIII. Si quæras, quis & qualis hic futurus sit ignis? an elementaris, an verò novus & extraordinarius, & in qua mundi parte contentus? Respondeo, Non liquet. Et si enim Pontificii multum ea de re disputant; quia tamen scriptura de his tacet, neque in hujus rei notitia aliquod fidei momentum situm est, non audemus aliquid certi affirmare aut negare.

XCIX. Mirus autem hujus ignis erit effectus, consumet enim omnia, exuret coelum & terram *2. Pet. 3. v. 6.* incinerabit arbores, herbas, lapides, metalla, domos & arces, montes & valles, consumet elementa omnia, ut Petrus loco dicto ait, ergò ne quidem mare ab hac exustione erit exceptum, quin & animantia
omnia,

omnia; & quæcunque in terra sunt opera. Homines tamen excepti sunt, quorum corpora in sepulchris cinefacta resurgent illibata, quæ verò novissimus dies invenerit viva, non consumentur, sed immutabuntur, docente Apostolo Paulo *1. Cor. 15. v. 51.* & sic viva rapiuntur in aera in occursum Domini *1. Thess. 4. v. 7.*

C. Errant ergò Pontificii, statuentes (1) ignem illum ultimum combustum etiam homines omnes, quod jam ex Paulo refutavimus. (2) Ignem illum purgaturum electorum corpora à mortuis resuscitata, quæ quidem etiam Patrum quorundam est opinio, sed omni caret fundamento, & ex Scriptura facilè refutatur. Aut enim sunt corpora mortuorum, & hæc resurgent glorificata, omnis corruptionis expertia: aut erunt corpora superstitum in novissimo die, & hæc statim Christo rapiuntur obviam in aera *1. Thess. 4. v. 7.* (3) Augustinus contrarium docet. lib. 20. de Civ. Dei. cap. 18 ubi de Sanctis quærit, ubinam corporibus suis futuri sint, in ultima mundi conflagratione? & respondet: *Talia illis inerunt corpora, ut illic sint, ubi esse voluerint; sed nec ignem conflagrationis illius pertimescent, immortales atq; incorruptibiles facti, sicut virorum trium corruptibilia corpora atq; mortalia in camino ardente vivere illa potuerunt.*

CI. Meminit scriptura alterius cujusdam ignis, qui in fine seculi descensus sit de cælo, & devoraturus Gog & Magog: sed hic ignis neque ignis infernalis est, quia is non de cælo veniet super ipsos: neque est ignis, quo conflagrabit mundus; jam enim ostendimus, homines à postrema illa combustione exemptos fore: est ergò tertius quidam ignis, quem Augustinus *lib. 20. de Civ. Dei cap. 12.* vel de zelo sanctorum, quo obfirmati, non sunt cessuri sævientibus, ut faciant eorum voluntatem. Ipse (zelus sanctorum) erit ignis, qui comedet eos, & hoc à Deo: quia Dei munere insuperabiles fiunt sancti, unde excruciantur inimici. Vel intelligit de plaga, quâ percutiendi sunt persecutores Ecclesiæ, veniente jam Christo, quos viventes inveniet super terram, quando interficiet Antichristum.

CII. Quicquid sit, notatur subita Dei vindicta, quam in fine seculi exercebit in persecutores Ecclesiæ, non secus ac si ignem & sulphur

fulphur super ipsos coelitus implueret, qua phrasi scriptura de vindicta Dei super impios in genere uatur *Psal. 11. v. 6.* pluet super impios laqueos & ignem & sulphur, & spiritus procellarum erit pars calicis eorum; & in specie super Gogum *Ezech. 38. vers. 22.* Judicio contendam cum eo, peste & sanguine, & imbrem inundantem, & lapides grandinis, ignem & sulphur pluere faciam super eum, & super exercitus ejus.

CIII. Jam, quomodo mundus per conflagrationem interitus sit, quaeritur, an secundum substantiam, an verò secundum qualitates & vires, actiones & effectus suos? sunt qui neutram in sententiam concedunt, & ἐπέχειν malunt, quam certi quid statuere, quia in scriptura hac de re nihil solidi, cui non contradici queat, habeatur: qua in sententiâ multi sunt ex Theologis nostris, Heerbrand. in Compend. Theol. L. de consum. seculi. quaest. ult. Mylius in August. Confess. art. 17. Lobeck. disp. 19. in August. Conf. &c. Alii per interitum mundi tantum mutationem qualitatum intelligunt, ut, quod Sol majorem tunc habiturus sit splendorem, quod coelum non amplius mobile sit futurum, quia motus tantum profit generationibus rerum inferiorum, quæ post diem novissimum cessabunt, & quod omnes elementorum vires vegetiores nobilioresq; sint futurae: in qua sententia sunt multi ex Patribus, Augustinus imprimis *lib. 20. de Civ. Dei. cap. 24.* Hieronymus *sup. cap. 51. & 65. Esaiæ.* Gregorius *lib. 17. Moral. cap. 5.* ut & plerique Pontificiorum & Calvinianorum, sed & aliqui ex nostris. Alii denique mundum secundum substantiam interiturum, censent, per interitum totalem creaturarum omnium, exceptis Angelis & hominibus.

CIV. Est autem hæc res tota non fidei, sed quaestionis, hoc est, non concernit Articulum fidei, in quo nemo nec ad sensum suum suspendere, nec dubitanter aliquid asserere, multò minus à veritate aberrare potest; sed tale dubium, de quo verisimiliter in utramque partem absque periculo disputatur, ita ut neutra opinio erroris aut hæreseos accusetur: de cujus generis quaestionibus Augustinus dixit: Errare possum, hæreticus non ero. Et iterum: si quis (in his quaestionibus) erret, corrigendus est error,

F

NON

non tamen tanquam hæresis corrigatur, & qui correptus fuerit, ita dicatur errare, ut non tamen hæreticus judicetur *lib. 2. cont. Pelagium & Cœlestium cap. 23.*

C V. Probabilior tamen videtur illa sententia, quæ conflagrationem mundi secundum essentiam asserit, (1) propter scripturarum emphaticam claritatem. Cœli enim perire dicuntur *Psal. 102. v. 27.* & magno impetu transire, & elementa calore dissolvi, terra autem & quæ in ipsa sunt opera, exuri *2. Pet. 3. v. 10.* omnis militia cœlorum tabescere, & cœli sicut liber complicari, & omnis militia eorum defluere, sicut defluit de vinea & de ficu *Esa. 34. v. 4.* cœli sicut fumus liquefcent, & terra sicut vestimentum atteretur *Esa. 51. v. 6.* Ad quem locum notat Hieronymus, quod Aquila verbum liquefcent, reddiderit *μειωθήσεται*, comminuentur, in nihilum. Symmachus, *ἀλιώσουται*, in modum Salis conterentur & evanescent. Cœli priores non memorabuntur, nec adscendent super eos *Esa. 65. v. 17.* cœlum & terra transibunt *Matth. 5. v. 18. Marc. 13. v. 31. Luc. 16. v. 17. cap. 21. v. 33.* mundus transit *1. Joh. 2. v. 17.* tempus fugit *Apoc. 10. v. 6.* fugit cœlum & terra *Apoc. 20. vers. 11.* primum cœlum & prima terra abiit, & mare jam non amplius est, *Apoc. 21. v. 1.* quid lucidius Sole? & hic deficiet *Sir. 17. v. 30.* Quæ emphatica dicta ad mutationem mundi, aut interitum ejus accidentarium sine detorsione textus accommodari nequeunt.

C VI. (2) propter rationum, quæ sunt ex altera parte, infirmitatem. Scriptura, dicunt, futuram mundi mutationem, non abolitionem substantiæ, sed liberationem à corruptione nominat, *Rom. 8. v. 20.* ipsa creatura liberabitur à servitute corruptionis, in liberationem gloriæ filiorum Dei. Sed nihil hinc concluditur, quia duplex est creaturæ liberatio à corruptione: una fit, cum tollitur abusus, & ipsæ renovantur tantum: altera, cum creaturæ prorsus tolluntur. De priore non agit Apostolus, quia in altera vita creaturarum abusus esse non potest: ergò de posteriore. Præterit figura hujus mundi, inquit Paulus *1. Cor. 7. v. 31.* non substantia. Sed *τὸ ἄχρημα* significat quidem accidentia rerum mundanarum, seu splendorem, dignitatem, adeoque omnem statum & conditionem hujus mundi, cum omnibus, quæ in istis comprehendun-

henduntur. Nulla autem est consequentia, figura h. e. accidentia mundi præteribunt, ergò non substantia, quia unum cum altero præteribit, & in alium statum mutabitur. Scripturam, ajunt, asserere, quod omnia opera Dei maneant in perpetuum *Eccles. 3. v. 4.* Sed opera Dei eo loci non significant res naturales, quæ sunt partes mundi, sed actiones Dei inter homines, quod alteri finit benè esse, alteri malè. In illis suis operibus semper est constans, & immutabilis, ac proindè perpetuò durant, quamdiu hic mundus durat &c.

CVII. (3) Propter consensum Ecclesiæ: Nam Patres æquè multi, si non plures, stant pro hac sententia, ac pro illa: amplectuntur eam etiam multi ex Pontificiis ac Calvinianis, quorum verba magno studio adscripsit Dn. D. Gerhard. tom. 9. fol. 403. seqq. Non ergò est, ut actum agam.

CVIII. Porro, post conflagrationem mundi sequetur novi *Novi mundi creatio.* cœli & novæ terræ creatio, juxta claram literam scripturæ *Esa. 65. v. 17.* Ecce, ego creo cœlos novos & terram novam, & non erunt in memoria priora. *Esa. 66. v. 22.* Sicut cœli novi & terra nova, quæ ego faciam, stant coram me, dicit Dominus *2. Pet. 3. v. 13.* Novos cœlos & novam terram expectamus, *Apoc. 21. v. 1.* Vidi cœlum novum & terram novam, primum enim cœlum & prima terra abiit, & mare jam amplius non est, & *v. 5.* qui sedebat in throno, dixit: Ecce facio omnia nova.

CIX. Quid hoc sit, diversæ sunt Theologorum sententiæ: est enim unum ex arcanis illis, quæ oculus non vidit, & auris non audivit: in futuro verò seculo omnia erunt clariora. Hieronymus in *Esa.* existimat, cœlos fore novos, non substantiâ sed qualitate, quemadmodum is, qui ex puero progressus est ad senilem ætatem, non substantiam humanam aut corpus suum amisit, sed qualitatem. Idem sentit Augustin. *l. 20. de Civ. Dei. cap. 16.* Illa conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant ardendo penitus interibunt, atq; ipsa substantia qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conveniant, ut scilicet mundus

mundus in melius innovatus aptè accommodetur hominibus, etiam carne in melius immutatis.

C X. Ex his sine dubio Dn.D.Philip.Nicolai suam hausit sententiam in *l.5.Theor.de vit.eter.c.10.* ubi existimat, mundum pristinū interiturum, non materialiter per annihilationem substantiæ, sed formaliter secundum præsentem formam & conditionem. Nam ex cineribus mundi per universale incendium consumpti proditurum ait subitò & miraculosè novum mundum, longè pulcriorem ac perfectiorem quo ad omnes suas partes priori, quemadmodum corpora humana per mortem non profus intereunt, sed è sepulchris clarificata suo tempore redeunt, vel quemadmodū ex cineribus Phœnicis alius reviviscit Phœnix, vel quemadmodū ex aquis diluvii novus prodibat mundus. Et hunc præsentem mundum tantū esse umbram & figuram novi mundi, in quo quidem omnia, quæ in hoc mundo sunt, quo ad substantiam erunt, sed longè perfectiora & clariora, quemadmodum primus Adam fuit typus secundi, tabernaculum figura primi templi Hierosolymitani, primum templum figura secundi, ubi in secundo Adamo, & in secundo templo major fuit gloria, quàm in primo, & in primo templo major splendor, quàm in tabernaculo.

C XI. In novo cœlo, inquit, erunt Sol & Luna, sed longè clarius splendebunt atque nunc, juxta illud *Esa. 30. v. 26.* Et erit lux Lunæ ut lux Solis, & lux Solis erit septemplex, sicut lux septem dierum. Stellæ clarius tunc scintillabunt, & una stella pulcrior erit, quam totum universum nunc est. Aer undiquaq; erit purificatus, Diabolus non erit amplius princeps aeris, cessabunt noxii vapores, non audientur tonitrua, non videbuntur fulgura, & coruscationes, cometæ aut phasmata horrenda alia. Nova terra erit instar universalis paradyfi: ubi erant antea spinæ & tribuli, jam crescent cinamomum, poma citria, & aliæ prætiosæ fruges. Carebit terra noxiis bestiis & venenatis animalculis, quæ jam ob peccatum nocent hominibus. Mare non amplius erit, quia horrendus ille vastusq; Oceanus mundum non amplius cinget: sed ubi jam Oceanus est, ibi in novo mundo mera erit terra suavissimis irrigata fluviis &c.

C XII. Jucunda hæc sunt auditu, nec quidquam habent absurd-

surdi-

surditatis, modo constaret, novum illud cœlum & nova terra, prout jam descripta sunt, cui tunc sint usui. Nā electi semper erunt apud Dominum. *Theff. 4.* non generabunt, non plantabunt, nec aedificabunt amplius, non terræ alicujus aspectabilis, sed cœli, in quo Deus & sancti Angeli habitant, incolæ, extra omne tempus & locum in sinu Abrahamæ, & manu Dei, *Luc. 16. c. 3.* qui nec lumine Solis aut Lunæ, nec splendore stellarum, nec frugibus aut aliis terræ commoditatibus amplius opus habebunt. Erunt enim in cœlesti Hierosolyma, quæ non eget Sole, neque Luna, ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus est agnus, *Apoc. 21. v. 23.*

CXIII. Existimat quidem Ambrosius Catharinus, & Alphonsus Salmeron in comment. 2. Pet. 3. eos, qui peccato proprio non sunt meriti infernum, nec tamen in Christo recepti fuerunt per gratiam, quales sint pueri absq; baptismo discedentes, illam novam multò pulcriorem terram, puram ab omni corruptione & inquinamento possessuros, ubi perpetuò Dominum Deum laudabunt. Sed hæc sententia & sacris literis, & aliis Pontificiis adversatur. Nam sacræ literæ omnibus in Christum credentibus vitam promittunt æternam Joh. 3. Infantibus autem in utero Matris per preces parentum fidem à Deo impetrari alibi docetur: Reliqui Pontificii hujusmodi infantes in infernum remittunt, ut inter alia videre est ap. Bellar. l. 6. de amiss. grat. & stat. peccat. cap. 2. Ideò sententia ista inter errores refertur à Jodoco Coccio scriptore Pontificio part. 2. thesaur. lib. 10. art. 2.

CXIV. Alii novum cœlum & novam terram metaphoricè intelligunt: Nonnulli de Eccles. militante, in qua renovatur mundus per Christum, & quidem in conversione Judæorum ad Ecclesiam. Cœlum novum (inquit *Brichtmannus in cap. 21. Apocalyp.*) est novus cultus, & religio Christiana; Nova terra sunt novi homines Israelitæ, qui tunc ad Ecclesiam Christi accedent. Cœlum prius, quod abiit, cultum Judaicum significat, quem non exercebunt amplius, Terra prior Judæos ipsos, qui Judæi esse desinent, Christiani facti: Mare, quod non erat, significat corruptam doctrinā, quæ non habebit locum in novo populo. Tunc enim Judæi erro-

res de Messia futuro, quos nunc mordicè tuentur, abjicient. Sed hæc opinio incerto nititur fundamento, videlicet de universali quadam conversione Judæorum orientalium post eversum Turcicum imperium.

C X V. Alii dicunt, veniente Christo, terra & cœli suo quodam modo renovandi fuerunt: quia cœlum jam longè clementius habemus quam antè, quia filius Dei de eo ad nos descendit: Deindè rursus ascendit, & viam nobis ad æterna illa gaudia aperuit. Nova præterea in cœlis lux lucet; Sol ille justitiæ Jesus Christus, de cœlo novus auditur Angelorum concentus & c. terra etiam olim erat deformis & tristis, nam totam eam Idololatria occupaverat: Apud Hebræos non modò illa, sed traditiones etiam humanæ dominabantur: nulla certa consolatio, nulla spes erat apud eos, qui præter sua merita conatusque, nihil omninò præsidii nec fiduciæ habebant, nunc autem terra verè renovata, jucunda facta est, cum in ea filius Dei assumpta humanâ carne cernitur, miracula cum admiratione videntur, Evangelium & annus ille Domini felix annuntiatur. Antea in terris sentes & tribuli, peccatum nascebantur: Nunc de ea surgit germen illud benedictum. Sæviabant antè creaturæ adversus homines: nunc unâ nobiscum ingemiscunt: Antea hominem ad interitum impellebant, nunc piis omnia simul cooperantur in bonum. Vid. D. Schnepf. & Francisc. Forerium in cap. 65. Esa.

C X V I. Sed textus in Apoc. 21. clarè loquitur de novo cœlo & nova terra post extremum judicium demum expectandis. Idcirco alii intelligunt de Ecclesia quidem, sed triumphante, ubi omnia erunt nova. Cœlum electorum erit ipse Deus: Sol justitiæ Christus Jesus, illustrabit eos sua claritate, ut in errores incidere nequeant, electi ipsi fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates Dan. 12. Terra erit nova, quia terrena electorum corpora erunt absq; peccato, sancta, pura, & ipsorum anima in plena perfectione multarum virtutum erit absolutissima: mare malorum & calamitatum, quibus hoc in mundo erant circumdati, non amplius erit, sicut scriptum est Apoc. 21. v. 4. absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors non erit ultra, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.

CXVII,

CXVII. In hac sententiarum varietate & rerum obscuritate non peccaret, qui iudicium suum suspenderet. Est enim etiam hæc res una ex illis, quæ captum nostrum transcendunt, & quorum exacta cognitio in alterum seculum differenda est, ubi intuitiva notitia omnes hominum speculationes superabit. Si quid tamen statuendum est, omnium tutissimum esse iudico, per cœlum illud novum, & terram novam intelligere ipsam vitam æternam, quæ aliàs vocatur cœlestis Hierosolyma *Apoc. 21. vers. 2.* & per mundi præsentis jucunditatem præfiguratur, unde & nomen illud cœli & terræ retinet. Nam cœlum suppeditat lucem, terra fructus suos: sic & vita æterna plena est splendore, cibo & deliciis animæ. Cœli ac terræ opificio nihil est pulcrius, & quid jucundius esse potest vitâ æterna? ubi Deus nos implet lætitiâ vultus sui, delectationes in dextera ejus usque ad finem *Psal. 16. vers. 11.* Cœlum & terra suppeditant omnia vitæ nostræ necessaria: vita æterna adimplet nos abundantiam omnium, quibus ad perfectam felicitatem undiquaque indigemus. In hoc mundo erat paradysus hortus deliciarum pulcherrimus, & omnis lætitiæ ac voluptatis promtuarium, universæ sensibilis venustatis intelligentiam excedens, ut Damascenus loquitur *lib. 2. orth. fid. cap. 11.* Vita verò æterna tanquam novus mundus longè erit pulchrior, carens veneno peccati, tribulis miseriarum & calamitatum omnium, abundans suavissima venustate cum Deo & sanctis Angelis: ubi edemus de ligno vitæ, bibemus de fluvio aquæ vivæ, splendido tanquam crystallo, procedente de sede Dei & agni *Apoc. 2. vers. 7. cap. 22. vers. 1.* In hoc mundo bona pars felicitatis nostræ est longævitas, quam Deus promisit electis suis: In novo autem mundo vitæ æternæ erit perpetua æternitas, ubi non numerabimus dies & annos, sed erimus apud Deum semper *1. Theß. 4.* Propter horum & similium membrorum collationem vita æterna vocatur novus mundus, novum cœlum, nova terra, nova Hierusalem: quæ sententia minus difficultatis habere videtur, quam præcedentes omnes: idcirco, salvâ cujusque aliud statuentis autoritate, in ea acquiescere, omnium tutissimum esse diximus.

CXVIII

Traditio
regni Chri-
sti.

CXVIII. Postremum opus in Consummatione seculi ad-
scribitur Christo, & vocatur *Traditio regni Christi*, de qua D. Paulus
1. Cor. 15. v. 24. seqq. ex professo agit: *Deinde finis* (inquit, scil. seculi)
cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum evacuaverit omnē principatum,
potestatem & virtutem. Oportet autem regnare, donec ponat omnes ini-
micos sub pedibus ejus, novissima autem inimica destruetur mors: omnia
enim subjecit pedibus ejus: cum autem dicat, omnia subiecta sunt ei, sine
dubio, præter eum, qui subjecit ei omnia. Cum autem subiecta illi fuerint
omnia, tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui subjecit ei omnia, ut sit Deus
omnia in omnibus.

CXIX. Classicus est hic Apostoli locus, non carens nodis
vindice dignis. In fine seculi, ait, fore etiam finem regni Christi,
quod traditurus est Deo & Patri suo, cum quo simul erit finis Ec-
clesiæ militantis, finis imperiorum, regnorum & politiarum, finis
præsentis status, finis miseriarum & calamitatum omnium. Re-
gnum autem Christi alibi in Scriptura vocatur regnum æternum,
& quod non corrumpetur *Luc. 1. v. 33.* necesse igitur est intelligi ista,
non secundum abdicationem omnis regni Christi, q. in fine mun-
di non sit amplius futurus rex, sed de abdicatione regiminis & ad-
ministrationis prioris, ita ut novum Christi regnum succedat, in
quo sit ipse rex sempiternus. De hoc regno Christi, quod in fine
seculi, seu in adventu suo ad iudicium, incoabit, quæritur, quid,
quale & ubi, sit; ut &, quomodo administretur?

CXIX. Sunt, qui completis sex millibus annorum, quibus
duraturus sit mundus, homines à mortuis redituros putant in vi-
tam, Christumq; post humanæ carnis à mortuis resurrectionem,
mille annos humano & corporeo amore in terris futurum, & cum
Sanctis suis incredibili cum gloriâ & rerum omnium abundantia,
regnaturum: sanctos quoq; isto tempore mira cum castimonia
uxores ducturos, & liberos absque peccato genituros, nihilque
quod ad terrenam felicitatem pertinet, desideraturos esse: & hoc
vocant resurrectionem primam, cujus mentio fit *Apoc. 20. vers. 6.*
Finitis hisce mille annis solutum iri Satanam, & gravissimam perse-
cutionem contra sanctos per Antichristum excitaturū, postquam
universalis mortuorum resurrectio secutura sit, unà cum generali
iudicio,

judicio, & impiis in infernum relegatis, sanctos assumptum iri in
coelos, ibique sempiterna lætitia animo & corpore perfruituros,
idque in Apocalypsi appellari resurrectionem secundam.

CXXI. Hujus opinionis sectatores dicti sunt Chiliastæ, seu
Chilionetitæ, Millenarii & Pepuziani, quorum primus autor fu-
isse existimatur Cerinthus, unde & Cerinthiani dicti sunt, teste
Augustino *de heres. cap. 8.* Sed verisimile est, Cerinthi opinionem
à Chiliastis fuisse nonnihil diversam, qua de re vide, si placet, *Ad-
ventum Typic. typ. 6. p. 392.* Eodem errore implicati quidam sunt ex
Patribus, ut Papias Episcopus Hieropolitanus, referente *Eusebio
lib. 3. hist. Eccl. cap. 36.* Irenæus, teste Hieronymo in catalog. illu-
strium cap. de Papias. Tertullianus, ut constat ex ejus *lib. 3. cont. Mar-
cion. c. 24.* Justinus in Dial. cum Triphone, Nepos Episcopus Æ-
gypti, quem refutat Dionys. Alexandr. ap. *Euseb. lib. 7. hist. Eccles.
cap. 10.* Lactantius *lib. 7. cap. 23.* Severus Sulpitius in dialog quem in-
scripsit *Gallus.* Augustinus quoque aliquando in ea se opinione
fuisse fatetur *lib. 20. de Civ. Dei. cap. 7.* sed postea Augustinus ipse
Chiliastas refutavit Hieronymus aliquando Chiliastarū opinionē
se non quidem sequi scribit, expressè tamen refutare non audent,
quia multi Ecclesiasticorum virorū & Martyres ista dixerunt, unus
quisque in suo sensu abundet, inquit *lib. 4. in Jerem. c. 19.* aliquan-
do autem graviter in eam invehitur, ut quæ gulæ & ventri licenti-
am pariat, ut constat ex *proem. in lib. 18. comm. in Esa. & in comment.
sup. cap. 66. Esa. propè finem.*

CXXII. Hodiè Judæi & Anabaptistæ hunc errorem defen-
dunt, quos damnavit Confessio Augustana artic. 17. Anabaptistas
sequuntur Antitrinitarii & Ariani, inter quos est Joh. Erasmus in
lib. cont. Tyræum Jesuitam. Ejusdem farinae sunt David. Georg.
Hollandus, & qui sectantur ipsum, Ezechiel Meth, Paracelsistæ,
& alii fanatici Enthusiastæ. Quàm procul etiam nonnulli Pon-
tificii & Calviniani à Chiliaismo absint, & quomodo Chiliastæ
inter se distincti sint, quibus argumentis utantur, & quàm multis
modis eorum opinio erronea, impia & absurda sit, prolixè & eru-
ditè satis persecutus est Dn. D. Gerhard. *Tom. 8. L. C. Loc. de Consum.
secul. tb. 76. seqq.* quò Lectorem brevitatis studio remitto.

G

CXXIII.

CXXIII. Certum est, quod nusquam in Scriptura Sanctis ejusmodi regnum fuerit promissum, contrarium potius reperitur, ut, quod Christus, dum se profitetur Regem, expressè addit, regnū suum non esse de hoc mundo *Joh. 18. v. 36.* idè cum regem ipsum constituere vellent, fugit in montem solus *Joh. 6. v. 15.* & cum de statu Sanctorum post resurrectionem ageret, tunc, inquit, neque nubent, neque uxores ducent, sed similes erunt Angelis Dei, *Matt. 22. vers. 30.* & quamdiu in his terris vivunt, fors ipsorum non est læta, sed multis sunt obnoxii tribulationibus, cujus rei testimonia plurima habet S. Scriptura *Psal. 34. v. 20. Sir. 2. v. 1. Matth. 5. vers. 4. Joh. 16. v. 33. 2. Tim. 3. v. 13.* & passim alibi. Certum insuper est, quod finis seculi seu dies extremus sit in propinquo: quod supra ex scriptura ostendimus: ex Chiliastarum verò opinione integri mille anni restarent adhuc ad finem seculi, quod non est in propinquo esse. Certum etiam, quod scriptura ultimum Christi adventum, cum resurrectione mortuorum, & extremo judicio immediatè jungat *1. Thess. 4. v. 16. 1. Cor. 15. v. 52.* mille autem anni Chiliastarum inter ultimum Christi adventum, & universalem mortuorum resurrectionem ponitur.

CXXIV. Quod autem in *Apoc. 20. v. 2.* clarè scribitur, sanctos cum Christo regnuros mille annos, id non patrocinetur Chiliastis. Nam cum tota Apocalypsis Johannis sit mystica, verba quoque illa mysticè potius quàm literaliter intelligenda esse videntur, eo sensu quem in Adventu Typic. notavi typ. 6. p. 391. cujus verba ascribo. Resurrectio ergò prima (de qua cap. 20. Apoc. agitur) est partim regeneratio hominis, quâ resurgit à peccatis, partim beatitudo animarum sanctarum, quæ statim solutæ corporibus regnabunt cum Christo in gloriâ. Beati igitur & sancti, qui partem habent in resurrectione ista, seu ut David loquitur: Beati, quorum remissa sunt iniquitates, & resecta peccata, *Psal. 32. v. 1.* ubi intelligitur resurrectio non corporum, sed animarum, quæ à peccatis immunes & corporibus solutæ erunt cum Christo in gloriâ mille annis: hoc est, usq; ad extremum diem (mille enim anni pro more scripturæ indefinitè notant totum illud tempus gratiæ à primo Christi adventu usq; ad secundum) & in his non habebit partem mors secunda, id est, eterna damnatio. Post secundam verò resurrectionem, quæ est uni-
versa:

verse carnis in fine mundi unà cum corporibus suis semper erunt cum Domino duplicatâ lætitiâ fruituræ. Regnare autem dicuntur cum Christo mille annis etiam illæ animæ sanctorum, qui primo statim seculo è corporibus suis migrarunt, quia & illud seculum ad tempus gratiæ pertinet: Et tunc sanè egressus est Satan, quasi vinculis suis solutus, & gravissimas per Gogum & Magogum, hoc est, per Turcam persecutiones excitavit, quibus ultimus Christi adventus finem exoptatum faciet.

CXXV. Qui literalem sensum sequuntur, initium illorum mille annorum ad Constantini Magni tempora referunt, tunc enim Satanas, qui tempore Arianismi per integros 300. annos in Imperatoribus Ethnicis horribiliter grassatus erat, ligatus fuit, quia sub Constantino persecutiones desierunt, & Ecclesiæ pax data. Finis istorum mille annorum in annum Christi 1300. incidit, circa quod tempus Satan iterum solutus Ottomanicam familiam excitavit, sub quo Gog & Magog, h. e. Turca maximum adquisivit robur, per quem Satan majores quam antea, persecutiones excitavit. Et horum martyrum in persecutionibus illis extinctorum animæ, juxta textum illum Apocalypticum, revixerunt ad æternam gloriâ, persecutores suos judicarunt, & cum Christo devictis omnibus hostibus, Diabolo, carne, mundo, regnarunt, donec consummarentur mille anni, non quasi postea felicitas ipsorum sit desitura, sed potius in perpetuum continuanda: quia particula Donec non finem sed continuationem notat, juxta morem scripturæ Gen. 28. v. 15. 1. Sam. 15. v. 35. Psal. 110. v. 1. Esa. 22. vers. 14. &c. Vide D. Chytræum; D. Winkelmannum super locum illum Apocalypticum, & D. Gerhardum disp. 3. cont. Fanaticos.

CXXVI. Hæc de Chiliastis. Photiniani Christo sub finem seculi complementum regni sui tribuunt. Ita enim scribit Valentinus Smalcus de Divin. Christi. c. 22. Hoc complementum Christi tunc fiet, cum non tantum ut nunc, potentiam habiturus est omnibus imperandi: verum etiam re ipsa istud imperium in omnes exercebit. Legitur enim in S. literis, Christum regnaturum, donec ei omnia subjiciantur 1. Cor. 15. v. 25. Nunc verò, ajunt eadem S. litera, nondum videmus ei omnia subjecta Heb. 2. v. 8. Et hoc complementum regni Christi respiciens Apostolus, dixit, Jesum Christum judicaturum vivos & mortuos, per adventum suum, & regnum

gnum suum 2. Tim. 4. v. 5. non quod tunc demum regnum Jesu Christi initium habiturum sit: sed quod tunc vere complementum suum accipiet Hæc ille.

CXXVII. Sed S. literæ nihil sciunt de complemento regni Christi in novissimo die demum futuro. Nam æquè completus & perfectus Rex fuit in hoc seculo, uti futurus est in venturo; tantum quod hîc habet regnum gratiæ, ibi verò regnum gloriæ: quæ duo non differunt specie, nec perfectione, sed tantum statu & conditione: illud enim per ministerium verbi administratur, hoc absq; eo. Neque veritati consentaneum est, quod Smalcus scribit, Christum nunc potentiam tantum habere imperandi omnibus: sed tunc reipsa imperium in omnes excitaturum; Nam & nunc in regno gratiæ suæ, h. e. in Ecclesia militante ipso actu imperium habet super omnia sibi subiecta, etiamsi illud non semper in statu humiliationis exercuerit, quia tunc tempus patiendi erat: cum autem per passionem ingressus est in gloriam suam, jam tunc actu potentissimè dominatus est in medio inimicorum suorum, eamq; ob causam sedit ad dexteram Patris, h. e. eadem potentia, quam Pater habet, plenum in omnia imperium exeruit. Hoc vocat scriptura sedere ad dexteram Patris 1. Cor. 15. exaltare caput. Psal. 110. habere nomen supra omne nomen Phil. 2. quæ omnia ipsi statim post suam passionem tribuuntur.

CXXVIII. Quod autem autor epist. ad Hebr. dicit, nondum ei subiecta esse omnia, cap. 2. v. 8 (ut Smalcus citat) nequaquam probat, regnum Christi nondum esse perfectè completum, in eodem enim loco clarè asseritur, ex Psal. 8. omnia esse subiecta pedibus ejus, nihilq; omisisse Deum, quod ei non sit subiectum: nunc autem nondum videmus omnia subiecta ei, quæ verba corripit Smalcus & pro iis alia substituit, quæ dixerit Apostolus, nondum omnia ante finem mundi subiecta esse Christo, ut complementum suum stabiliat. Sed hoc tantum vult scriptura, Christum in exaltatione sui ad dexteram Patris etiam angelis superiorem factum, quia omnia simpliciter sunt ei subiecta, super omnia opera manuum Dei constitutus, omniumq; rerum imperium merum & absolutum adeptus est, etiamsi sublimissima hæc majestas filii hominis

nis

nis nondum videatur oculis nostris : gloria enim ejus non humanis sensibus metienda, sed fideli pectore apprehendenda est.

CXXIX. Præcipuum opus Christi in illo complemento regni sui, fore putat Smalcus abolitionem mortis, quam propterea Paulus vocet ultimum hostem ultimo Christi adventu destruendum *1. Cor. 51. v. 26.* quia scilicet in reliquis hostibus Jesu Christi multa exempla statuta fuerint, ante ipsius adventum illum ultimum : at quò ad mortem nihil hæcenus ab eo tempore, quo Dominus Jesus regnare cœpit, apparuit, unde constaret, eum vel tantillum potestatis in eam habere. Nam præter solum Jesum Christum, nemo ab ea unquam verè & perfectè liberatus fuit. Jesus Christus autem liberatus fuit ab ea, non sua, sed Dei virtute & potentia &c. Et iterum : Esse Jesum Christum, qui tam in ipsam mortem, quam in Diabolum, peccatum & mundum imperium habeat, testabitur demum ipsius ille adventus ultimus, in quo divinum regnum Jesu Christi perfectissimè in omnia & omnia (solo tamen Deo excepto) reipsa apparebit, cum scilicet ipsam etiam mortem abolebit, revocatis ex morte in vitam æternam & immortalem omnibus illis, quicumque ab initio mundi hucusquè à Deo vel Jesu Christo fideles fuerunt, & futuri sunt usquè ad finem hujus seculi. Hæcenus Smalcus.

CXXX. In quibus verbis gemina occurrit falsitas, (1.) quod constare negat ante ultimum Christi adventum, eum potestatem habere in mortem. Cur ergò Paulus scribit ad Corinthios ex *Esa. 8.* & *Osea 13. v. 11.* absorpta est mors in victoria, ubi est, mors, victoria tua? ubi est mors stimulus tuus? Stimulus mortis peccatum est, virtus verò peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Jesum Christum Dominum nostrum, *1. Cor. 15. v. 55.*

CXXXI. Magnum certè indicium fuit, abolitæ mortis per Christum, partim quod ipse in morte non mansit, partim quod alios à morte resuscitavit, quod verè & perfectè factum esse, nemo piorum negare potest, quodquæ universalis resurrectionis omnium spem nobis fecit *Joh. 5. v. 28.* Veniet hora, inquit, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, & qui mala egerunt, in resurrectione judicii. (2) Falsum est, quod Christus non propriâ virtute resurrexerit à mortuis. Contrarium ipse testatur *Joh. 10. v. 18.*

cum potestatem se habere ait ponendi animam suam, & potestatem iterum sumendi eam. Nam, ut filius Dei ejusdem est cum Patre potentia, ideò *Joh. 5. v. 19.* dicit, quæcunque Pater facit, similiter & filius facit: ita filius hominis eandem divinam potentiam accepit à *λόγω*, unde dicit *Matth. 28.* mihi data est omnis potestas in coelo & in terra, ergò etiam potestas semetipsum resuscitandi à mortuis.

CXXXI. Quod ergò mors vocatur ultimus hostis, nequaquam ea causa est, quam Smalcus affert, sed (1) quia in eos etiam dominium habet, qui à cæteris hostibus, peccato, Diabolo & æterna damnatione liberi sunt: nam fidelibus etiam statutum est mori, cum & ipsi peccatores sint, & per mortem incorruptibilitatem induere debeant. (2) quia inter omnes hostes diutissimè durabit. Omnibus enim hostibus piorum deletis, tandem etiam mors corporalis abolebitur, quando Christus omnes ex morte resuscitabit, ut hoc mortale induat immortalitatem. (3) quia ultimò accessit. Primus enim hostis fuit Satan, sollicitans homines ad peccatum: alter voluntas hominis spontè se à Deo avertens: tertius peccatum: quartus deniq; mors superveniens peccato: quæ postrema ratio est Chrysofomi sup. cap. 15. 1. ad Corinth.

CXXXII. Porò post complementum regni Christi, ait Smalcus, securam traditionem ejus regni, de qua Paulus *1. Cor. 15. v. 24.* Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & Patri, quam traditionem ille de resignatione totali illius regni intelligit, quâ simul filius subjiçetur Patri, ut is sit omnia, hoc est, perfectissimè suam potentiam, sapientiam & bonitatem exerceat in omnibus, hoc est, ut antea in solo Christo, sic etiam ab illo tempore in omnibus, qui sunt Christi. Hæc ille.

CXXXIII. Sed traditio illa regni Christi non ad ipsum regnum, sed ad ejus statum & conditionem pertinet. Ipse enim est & manet Rex æternus, cujus regnum quoq; non habebit finem, ut Archangelus ad B. Mariam dicit *Luc. 1. v. 33.* aliam autem conditionem consequetur in consummatione seculi, quam nunc habet. Jam enim durat regnum gratiæ, quod Christus ipse in diebus carnis suæ incoavit in terris, prædicando verbum, edendo miracula, patièdo

patiēdo & moriēdo, & postquam in cœlum ascendit, administrat illud etiānum sedens ad dexteram Dei, intercedens pro nobis, dans dona Ecclesiæ, & constituens verbi sui præcones, qui virtute verbi divini expellant Diabolum, & convertant corda filiorū ad patres, & corda patrum ad filios. Et hæc administratio regni sui durabit usq; ad novissimum diē: tunc demum erit finis prædicationis, finis sacramentorum, finis intercessionis Christi, finis officii mediatorii, finis fidei, finis etiā omnis ἀραξίας & miseriæ, cui pii hoc in mundo sunt expositi.

CXXXIV. Tunc tradet regnum suum Deo & Patri, quando devictis hostibus, & perfectis ac peractis omnibus iis, ob quæ à Patre missus erat in mundum, perducet Ecclesiam ad perfectam contemplationem Dei & Patris, liberatam ob omni maculâ & rugâ, integram & gloriosam, quasi prædam hostibus ereptam. Tunc finem habebit regnum gratiæ, & incipiet regnum gloriæ, ubi Deus divitias suæ beatitudinis electis suis coram intuendas dabit. Tunc hostes nostros, Diabolum, mortem, mundum & peccatum antea quidem victos, sed nondum subjugatos (ideò semper adhuc resistunt regno Christi usque ad finem seculi) pedibus suis subjiciet. Tunc & circa Angelos aliqua occurret mutatio. Boni Angeli non amplius hominibus sua præstabunt officia, sed propter electos & una cum ipsis perpetuâ perfruentur lætitiâ. Mali verò Angeli non amplius poterunt electos seducere, aut iisdem nocere, sed in abyssum ejecti sempiterna luent supplicia.

CXXXV. Tunc etiā Filius ipse subjicietur Patri, non quoad divinam suam naturam, ut Ariani volunt, secundum eam enim semper fuit æqualis, ὁμοῦσι & ἰσὺς ὁμοῦσι Patri: nec quoad naturam humanam per commutationem carnis in Deitatem, ut alii quidam voluerunt Hæretici, referente Augustino *lib. 1. de Trin. c. 8.* sed secundum officium mediationis, quod tunc cessabit, ideò peracto illo in manus Patris sui, à quo missus erat, quasi resignabit. Habet enim obedientia filii respectum subjectionis ad Personam mittentem, licet missio & obedientia (juxta veterum regulam) non tollat æqualitatem essentiæ & potentiæ. Secundum hoc officium semper quidem subjectus fuit Patri à primo ejus initio:

tio:

tio: quia tamen etiam in plena sua gloria secundum illud subiectus ei manebit, ideo etiam post traditionem regni sui adhuc subiectus Patri dicitur.

CXXXVI. Et his ita peractis, *Deus erit omnia in omnibus*, quod intelligendum est (1) ratione revelationis; Nam Deus quidem nunc quoque est omnia in omnibus, imperans omnibus, operans in omnibus, gloriosus & victoriosus in omnibus: terra enim plena est gloria Dei *Esa. 6. v. 3.* sed in fine mundi imperii istius majestas in omnibus revelabitur clarius, quæ hinc sub Tyrannorum & improborum hominum malitia interdum lateret, ac si non esset Deus, qui gubernet hunc mundum, & resistat impiis; Tunc autem quando subiecti erunt hostes omnes pedibus filii, omnipotens Dei virtus ac imperium in omnibus magis magisque apparebit (2) Ratione perfectæ nostræ beatitudinis. Tunc enim Deus erit omnia in omnibus, quia omnes perfectè beabit, ac donis suis divinis explebit: quo sensu Hieronymus hæc verba ad Christum refert epist. 47. *Dominus itaque, Salvator*, inquit, *nunc omnia non est in omnibus, sed pars in singulis, v. g. in Salomone sapientia, in David bonitas, in Job patientia, in Daniele cognitio futurorum, in Petro fides, in Phinees & Paulo zelus, in Johanne virginitas, in cæteris cætera: cum autem rerum omnium finis advenierit, tunc omnia in omnibus erit, ut singuli sanctorum omnes virtutes habeant, ut sit Christus omnia in cunctis.* Sed & hoc unum est, ex iis, quæ hæc in vita scimus obscurius: veniet tempus, quando omnia clarius habebimus intuitivâ notitiâ, quando Deum omnia in omnibus unum omnium caput, rectorem atque Dominum videbimus, & una voce confitebimur; Huic soli Deo benedicto & glorioso sit honor, gloria & gratiarum actio, seculis sempiternis, Amen.



05 A 2156

ULB Halle

3


003 782 832



1077







48

